

684.15  
17.1.17

8  
9476







Auf  
 a

1. abdruck verfertigt von W.  
 D. in der Zeit Heinrich Ammers  
 Bach zusammen mit dessen Zeit  
 Helmst. 1666
2. Ammers Bach v. Heinrich v. Arn.  
 Dora Tarnoviana, Quindlingob.  
 1663
3. Lassen v. Joh. v. Löblin  
 v. Arn., Helmst. 1669
4. Arn. v. Mart. v. Arn.  
 aus dem 133. Jahrb.  
 Jena 1837.





<sup>MAS.</sup>  
BREVIS DECLARATIO VERBORVM  
COENAE DOMINICAE

PRO STUDIO THEOLOGICAE ET ALIIS HOMINIBVS PIIS, IN SIMPLICI VERITATE, QUAM AMPLECTUNTUR, CONFIRMANDIS

*Collecta à*

VALENTINO SCHACHTIO

*Cum adiecta precipuarum obiectionum refutatione.*



*Sunt ex libro p. Johannis  
Lolwitschij*

*Conservatus in lacrymis, in  
quibus mecum.*

*2018 201 2018.*

*M. Andreas Dreylandt*

*Anno 1631.*

J E N A

*Typis Tobia Steinmanni. Anno 1591.*

*MAS.*









BENEVOLO ACPIO  
LECTORI SALVTEM.

**Q**UAM MULTÆ GRA-  
uissimæ in Theologia controuersia ne-  
quaquam satis adhuc sunt explicatae:  
tum quæ de cana Dominica seculo iam  
integro longius, acerrimo partium studio agitur  
disputatio, sic comparata est, ut cum multa de ea  
dicta scriptaq; sint, plura subinde dici scribiq; posse,  
imò potius dicenda scribendaq; esse videantur.

Multi in ea sunt sententia, locum tandem esse  
relinquendum prouerbio, Manum de tabula: siqui-  
dem nouorum argumentorum nihil amplius profe-  
rant Sacramentarij: sed veteres Coccysmos subinde  
ingeminant.

Alij à genere isto scriptionum, quod πολεμικόν,  
quandoq; etiam ἐριστικόν appellant, prorsus etiam ab-  
horrent. Sat, inquiunt, hætenus iurgiorum fuit:  
deinceps doceatur Ecclesia, & ad moderatum  
discendi sacra morem assuescat, ne in neruum tan-  
dem ista contendendi libido erumpat. Latere iam  
patior alia quedam κοσμοσοφικά partim, partim κοσ-  
μοσοφιστικά.

A 2

Hij



His sanè hominibus, quos controuersiarum  
Theologicarum tractatio tam malè propitios ha-  
bet, prolixè responderi poterat. Sed & ab alijs hoc  
præstitum est non parum multis: & ut id suo tem-  
pore à nobis quoq; fiat, non præteruolaturam esse  
occasionem existimo.

Nunc illud strictim admonere sufficit, ut noua  
maximè non sint, quæ Sacramentarij hodiè addu-  
cunt argumenta: actores tamen subinde esse novos,  
& eos quidem plerumq; tales, ut non nouo tantum  
studio proferant ea, quæ à maioribus accepta ha-  
bent: sed nouis etiam formis ac schematibus eli-  
mata perpolitq; depromant, quæ rudius ac crudius  
ab antecessoribus proposita esse, disputationum  
ægyptiæ edocti posteri, haud stultè animaduertunt.  
Jam illud passim apud discentes inualuit κακονδεσ,  
ut ad spernenda scripta publica, etiam quæ sunt  
optima, satis sit unum illud, si prisca sint, si antiqui-  
tatis aliquid redoleant, adeò ut multis discere nihil  
aliud sit, quàm nouis scriptis inhiare. Quorum  
morbo si quis mederi velit, omisso scribendi exerci-  
tio: neruum ipsum doctrinæ hauriendæ præcidisse  
istis videri queat.

Ceterum





Coeterum quis admittet statim, vetera esse  
omnia, quae hodie Sacramentarij passim de hoc ne-  
gotio disputant? An non aciem mentis omnem,  
fatigando, angulos isti perreptant omnes? nunquid  
non undequaque manipulos furum colligendo, ac plu-  
ra subinde Scripturarum loca deprauando, plu-  
resque fidei articulos corrumpendo, seipsis indies de-  
teriores fiunt, & heretica improbitate magis ma-  
gisque sese superant? Superant certe, & quidem  
maiores in modum superant. Errant ergo ma-  
gnopere, qui pacem in medio bello somniantes, no-  
uis excubijs, nouis velitationibus, noua etiam ar-  
morum perpolitio locum non relinquunt.

Quid istis verò respondeam, qui genus hoc  
scriptionum planè ab Ecclesia exterminant? Imò  
verò annè vlllo etiam modo respondeam? An pu-  
gna hostili durante etiamnum, proiectis armis  
quod perfractores faciunt, victoriam aduersarijs ul-  
trò nos cedere iubent? An haeresibus refutandis,  
& contradicentibus arguendis, non docetur etiam?  
An Spiritui sancto frenum iniicietur, ne causam  
suam contra aduersantes agere queat? An ministe-  
ry Ecclesiastici munia atque partes contrahentur?

A 3 Quasi



Quasi verò Ἐ δὲ ἀκλινὰ scripta desint, si ἂν δὲ ἀκλινὰ  
ista secludere omnino libeat. Nec sanè omnibus  
hæc scribuntur, quæ πολέμικὰ isti nominare consueve-  
runt: sed scribuntur doctis, quibus exactior reli-  
gionis constare notitia debet: scribuntur Ecclesia-  
rum ministris ac Theologia studiosis, quibus acrior  
indaganda propugnandaq; veritatis cura incumbit.  
Jam dent isti nobis regionem, cuius tranquillitatem  
isti homines turbare non attentent: dent Ecclesi-  
am, in quam se furtim Ἐ per cuniculos quasi insi-  
nuare ijdem Sacramentarij non laborent. De-  
niq; nulla maior ab istius hæresis lue pestis extime-  
scenda est, quàm silentibus. Experta hoc est ætas  
ipsius Lutheri felicissima, quæ tum mali istius inva-  
lescentis pestem vidit maximam, cum temporis ali-  
quantuli inducias cum isto hominum genere coluit,  
quæ de re Lutherus etiam, fraude diaboli animad-  
versa tandem, doluit. Quod si unquam messis isti hæ-  
resi, quæ in herba fuit, magnis incrementis surrexit,  
tum surrexit, cum præpostero pacis studio, Ἐ con-  
tradicientes arguendi remissiori animo, hoc stultè  
speratum fuit, lucre fieri posse indulgentia homines  
eos, quos in sensum reprobum traditos fuisse, indicijs  
haud



haud obscuris apparuisset, si maior causa divina,  
quàm tranquillitatis propria habita quondam ra-  
tio fuisset. Valeant ergo, & non nobis, sed sibi sapi-  
ant, qui alterutri sententiæ adherentes, Ecclesiam  
in media acie hostili exarmatam, vigiles in ipsa  
specula cecutientes, canes in ipsis excubijs mutos, sa-  
lem in usu ipso fatuum esse, hoc est, tum opus Dei  
negligenter agi à ministris præcipuè volunt, cum fi-  
des ipsorum & industria à Deo potissimum requi-  
ritur.

Quæ cum ita sint, vehementer probandam  
puto reuerendi & clarissimi viri M. VALEN-  
TINI SCHACHTII, Professoris apud Ro-  
stochienses Theologici fidem atq; ingenuitatem, qui  
hac ipsa, quæ modo dixi, probè pensi habens, in ven-  
tilanda hac ipsa Sacramentalis negotij controuer-  
sia, neq; manū de tabula, neq; calammum à polemiciis  
abstinendum sibi censuit: sed palestram hanc Theo-  
logicam tempore commodissimo ingressus, eam ad  
inquirenda aduersariorum argumenta industri-  
am: ad referendum eadem, fidem & candorem:  
ad refutandum, aciem ingenij ac dexteritatem: ad  
disputandum, facilitatem & perspicuitatem attu-  
lit.



lit, quæ merito bonis omnibus ac veritatis amanti-  
bus probabitur. Cuius laborem quò magis Ecclesiæ  
& scholis profutarum esse confido, eò ipsum rogo  
magis, & pro amicitia nostra iure hortor etiam,  
ut facere porrò etiam, quod facit, hoc est, Ecclesiæ  
& scholis gnauiter prodesse, & causam veritatis suo  
loco strenuè asserere ne desistat. Erit id Ecclesiæ &  
scholis salutare, loco eo, in quo Deus constitutum  
ipsum voluit, plane dignissimum: deniq; Deo atq;  
agonotheta nostro Christo ita gratum, ut operam  
hanc causa veritatis suæ præstitam, remuneratione  
sua ac prædicatione carere minime passurus sit.

GEORGIUS MYLIUS  
D. & Professor Ienensis.



QVAE



Q U Æ S V N T T R Æ-  
cipua appellationes Cænæ  
Domini?

1.



Ο C Α T V Ρ Δ Ε Ι Π Ν Ο Ν Κ Τ-  
ερακόν, id est, Cæna Domini, quia vespere à  
Domino instituta est, & Domini nostri Iesu  
Christi corpus, & sanguinem, cum pane,  
& vino, distribuit.

2. Eucharistia, hoc est, gratiarum actio,  
quia Christus instituens hanc sacrosanctam Cænam gratias  
Deo egit, vt nos admoneret de Deo agendis in sacra cæna  
gratijs, pro redemptione generis humani, facta per mor-  
tem Christi.

3. Συνάξις à Congregatione, quia pij conueniunt in  
publico cætu, ad participationem cænæ Dominicæ, & est  
mutuæ congregationis ac coniunctionis symbolum.

4. Δείξις, quia vt prædicatio verbi publica est, ita  
etiam sacre cænæ administratio publica est, & esse debet,  
extra casum necessitatis.

5. Αγάπη, hoc est, dilectio, quia mutuæ dilectionis  
nos communicatio corporis & sanguinis Christi admo-  
net, & propter epulas sacras, ex muneribus, in commune  
collatis, institutas, quibus suam inter se caritatem pij olim  
testificabantur.

6. Oblatio, & Sacrificium, quia ditiores in admini-  
stratione cænæ afferebant panem, vinum, frumentum, pe-  
cuniam, quibus iuuabantur inopes, & Deo offerebantur  
Sacrificia iusticiæ, & vituli labiorum.

7. Cyrillus & Chrysostomus mysterium vocant, quod  
B latini



latini scriptores sacramentum nominant. Ratio enim humana non percipit, quomodo corpus & sanguis Christi in cæna substantialiter adsint, sed fide eorum præsentia substantialis creditur.

8. Missa, siue à ritu missarum rerum seu donariorum, quæ in commune comportabantur, siue à formula dimissionis populi: *Ite missa est.*

9. Testamentum, quia Christus moriturus sub testificatione ultimæ suæ voluntatis, certa quædam bona, remissionem peccatorum, & vitam æternam legat hæredibus suis pijs, & ea applicat & obsignat vero corpore, & sanguine suo.

*Quid est cæna Domini?*

Cæna Domini est actio à Christo instituta, in qua dato & accepto pane & vino, exhibetur & datur verum & substantiale corpus Christi ad vescendum, & verus ac substantialis sanguis Christi ad bibendum, hoc fine, ut remissio peccatorum, traditione corporis, & effusione sanguinis Christi parata, simul applicetur & obsignetur, & recordatio mortis Christi seu fides in Christum exuscitetur & confirmetur.

*Vnde est desumpta hac definitio?*

Ex verbis institutionis Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Pauli 1. Cor. 11.

Dominus noster Iesus Christus, in ea nocte, qua traditus est, accepit panem, & postquam gratias egisset, fregit, ac dedit Discipulis suis dicens, accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in mei commemorationem.

Similiter



Similiter & postquam cœnauit, accepto calice, & cum gratias egisset, dedit illis dicens, bibite ex hoc omnes, hic calix nouum testamentum est in meo sanguine, qui pro vobis & multis effunditur in remissionem peccatorum, hoc facite, quotiescunq; biberitis, in mei commemorationem.

*Quis est autor sacrae cenae?*

Dominus noster I E S V S C H R I S T V S, qui solus habet potestatem ordinandi sacramenta, non Papa, aut alius mortalium in his terris, & illius institutionem corrigere vel mutare nefas est, quod tam Pontificij, quam Calvinistæ faciunt.

*Quando est instituta?*

In ea nocte, qua traditus est. Immensa igitur erga nos est dilectio Christi, magis de nobis, quam seipso solliciti, & in ipso articulo mortis suæ testamentum condentis, in quo paciscitur nobis gratiam D E I, seu remissionem peccatorum, & obsignat illam promissionem preciosissimo corpore & sanguine suo.

*Quae sunt res sumendae in hac sacrae cenae?*

Panis, & corpus, vinum, & sanguis Christi, seu res terrena & caelestis, vt Irenæus loquitur. Nam Christus accepit panem & dixit: Hoc est corpus meum, & calicem seu vinum, ac dixit: Hic est sanguis meus.

*Quomodo vero CHRISTVS sacramentam instituit?*

I. Gratias egit D E O patri pro admirando iusticiæ & misericordiæ diuinæ decreto de liberatione generis  
B 2 humani,



humani , per mortem filij , & precatus est , vt institutio sacrae cænæ ad omnem posteritatem rata , efficax , & salutaris sit.

2. Fregit panem , hoc est, distribuit Discipulis panem vescendum. Nam Ebræa phrasi frangi dicitur quicquid ad cibum præbetur , distribuitur , accipitur, vel etiam emittitur , & venditur , etiamsi in frustra seu partes non discerpatur , Esa. 58. Frange , id est , distribue esurienti panem tuum. Prouerb. 11. Benedictio super caput frangentium , seu communicantium alijs frumentum. Non debet igitur reponi panis sacer , sed distribui.

3. De fracto & dato discipulis pane dicit: Accipite , comedite , hoc est corpus meum , & de calice præbito: Hic est sanguis meus.

*Quid significat hic comedere & bibere ?*

Idem , quod ore sumere præbitum cibum & potum. Iussi enim Discipuli edere, ederunt ore, & iussi bibere, biberunt ore.

*Quid præbitum igitur fuit eis comedendum  
& bibendum ?*

Panis , & corpus , vinum, & sanguis Christi.

*Quomodo hoc probas ?*

Quia disertè dicitur , Accipite, comedite , Hoc ( scilicet quod accipitis & comeditis ) est corpus meum , Et bibite ex hoc omnes , Hic calix est sanguis meus noui testamenti. Acceperunt autem non tantum panem, sed etiam in pane corpus , quod pependit in cruce , & sanguinem in calice , qui effluxit ex latere Christi , vt Augustinus loquitur.

*Status*



*Statuis igitur utramq[ue] rem, panem & corpus, vinum  
& sanguinem, pari ratione seu modo  
comedi & bibi?*

Nequaquam. Quia ut inter res ipsas, & earum præsen-  
tiam, ita etiam inter modum sumptionis illarum necessa-  
rio distinguendum est.

*Distingue ergo.*

Panis & vinum adsunt physicè seu naturaliter, Ergo  
physica eorum est sumptio. Corpus & sanguis sub elemen-  
tis panis & vini, adsunt, modo imperscrutabili, Ergo etiam  
tali modo seu ratione sumuntur. Qualis enim est præsentia,  
talis etiam est sumptio.

*Qualis igitur est præsentia corporis & sanguinis  
Christi in Cæna?*

Non physica, seu naturalis, sed sacramentalis, hoc est  
mystica & arcana, ac imperscrutabilis. Nam vox sacramen-  
ti, in loco de Cæna Domini, nullo modo significat rei ab-  
sentis figuram seu Symbolum, iuxta Calvinistas, sed signifi-  
cat arcanum & reconditum thesaurum, sub externa specie  
latentem, & longe supra rationis & sensuum conspectum  
positum, qui ex solo verbo Dei patefacto fide intelligi &  
dijudicari possit.

*Ergo non statuis, Consubstantiationem vel συνστοίαν  
Elementorum, & corporis ac sangui-  
nis Christi?*

Quod non, id ex proximè præcedentibus quæstioni-  
bus & responsionibus liquido constat. Non enim est sub-  
stantialis aut naturalis unio rerum terrenarum & cælestium,  
sed sacramentalis, seu arcana, & imperscrutabilis. Non po-  
test igitur fieri mixtio aut transubstantiatio rerum terrena-  
rum & cælestium.

B 3

*Sed*



*Sed quomodo potest ore comedi & bibi, quod adest in  
cana modo imperscrutabili?*

Corpus & sanguis per se, seu immediate sumpta, non  
possunt accipi ore, sed quia adsunt vel distribuuntur cum,  
vel sub Elementis pane & vino mediate, seu tanquam in-  
strumentis, à Christo ad hoc ordinatis. Ideo quod Ele-  
mentis proprie tantum competit, idem etiam tribuitur re-  
bus cælestibus, propter earum arctissimam coniunctionem.

*Si potes, declara mihi hoc cognate aliquo exemplo?*

Iohan. 1. Baptista dicit: Vidi Spiritum descendentem  
specie columbæ de cælo, & mansit super eum. Descendere  
autem de cælo, & videre descendentem de cælo, proprie  
tantum competit columbæ, & tamen quia in specie co-  
lumbæ descendentis Spiritus sanctus reuera præsens fuit,  
is etiam visus scribitur descendere de cælo mediate in spe-  
cie columbæ, & manere super Christum. Descensus igitur  
columbæ fuit naturalis, Spiritus sancti fuit supernaturalis  
seu imperscrutabilis.

*Sunt ne plura exempla in scriptura Similia?*

Sunt plura, Maria enim concepit & peperit organo  
physico non nudum hominem, sed etiam verum Deum,  
sed modo non congruente ad rerum seriem. Et Christus  
afflando dedit Spiritum sanctum discipulis, quem illi cum  
flatu organo physico reuera acceperunt, sed non modo  
physico.

*Sentis ergo corpus Christi aque sumi ore, atq̃  
panem, & sanguinem, atq̃  
vinum?*

Prorsus eodem oris instrumento, quia coniunctim seu  
cum illis rebus, quæ videntur pane & vino, verè & sub-  
stantialiter



stantialiter adsunt & exhibentur corpus & sanguis Christi;  
sed modo diuerso, vt paulo ante dictum est.

*Ergone os corporeum edere potest modo  
non naturali?*

Os corporeum naturaliter edit objecta naturalia Sed  
quia in pane adest & exhibetur corpus Christi modo non  
naturali, Ergo Corpus Christi etiam in pane modo non na-  
turali percipitur.

*Si adest Corpus Christi modo non naturali in pa-  
ne, & eodem accipitur; Cur ergo di-  
citur adesse Substantialiter  
& corporaliter?*

Hæ voces non declarant modum præsentiaẽ substanti-  
alem & corporalem, seu non loquuntur de forma & modo,  
quo adest corpus Christi in cæna, sed tantum de materia,  
seu substantia corporis, seu de corpore ipso, quatenus est  
substantia, & opponuntur præstigijs Sacramentariorum,  
vt denotent non solum adesse corpus in cæna quo ad solam  
significationem seu relationem signi ad signatum, sed ad-  
esse & exhiberi, quo ad substantiam corporis, non ab-  
sentis, sed coram præsentis, modo imperscrutabili &  
arcano.

*Quodnam igitur corpus & sanguis in cæna  
distribuantur?*

Christus respondet: Quod pro vobis datur, & qui pro  
vobis effunditur, hoc est, verum & substantiale corpus  
Christi, natum ex virgine, & traditum in mortem, & verus  
ac substantialis sanguis Christi, qui fuit in vero, seu naturali  
corpore illius, effusus in cruce.

*Quid*



*Quid inde colligis?*

Quod panis Cænæ Dominicæ sit naturale seu substantiale corpus Christi, & vinum in calice, sit naturalis & substantialis sanguis Christi.

*Ergone falsa est Sacramentarium glossa, quod panis sit corpus Christi Symbolicum, Typicum, seu significatiuum?*

Omnino. Quia non Symbolicum, aut typicum corpus, sed res ipsa, scilicet verum, & essenziale corpus Christi, traditum est in mortem, & non typicus sanguis, sed naturalis, effusus est pro nobis.

*Qualis autem est locutio, panis distributus & sumptus in Cena, est verum & substantiale corpus, & vinum, verus & substantialis sanguis Christi?*

Non est vsitata, vel regularis, sed peculiaris prædicatio, quam alij nominant sacramentalem, alij Inusitatam.

*Quid est Sacramentalis locutio?*

Est prædicatio, qua res cælestis suo Elemento tribuitur, propter indiuiduam connexionem earum, quodq; res cælestis verè sub eo exhibetur.

*Quid est Inusitata?*

Ea propriè tantum spectat ad propositiones de filio Dei, Deus est homo, & homo est Deus, vbi duæ diuersæ species copulatæ, de se inuicem prædicantur. Ita hîc etiam ouæ species disparatæ in actione Cænæ copulantur, & de se inuicem prædicantur, nec exempla habent similia in tota rerum vniuersitate.

*Quod si esset figurata prædicatio, vt Calvinistæ volunt?*

Non est. Quia in figuratis seu tropicis locutionibus termini



termini simplices, vt sunt subiectum, & prædicatum, vel  
singuli, vel vtriq; , à propria significatione in impropriam  
transferuntur. Sed teste Beza ipso, in libello quaestionum  
& responsionum, nulla est figura, vel in subiecto, vel in at-  
tributo. Tantum inquit absumus ab eo, vt dicamus aliud,  
quam verum illud & vnicum Christi corpus, traditum pro  
nobis, de illo pane dici, vt contra contendamus, totum  
Christum Deum & hominem illic ab altera natura, corpo-  
rea videlicet denominari.

*Sed quid respondes, quòd Beza tropum in copula, Est, ponit,  
quæ subiectum cum attributo connectit, Dico, inquit, ille in ipso  
attributionis genere Tropum esse, id est, verum quidem &  
proprie acceptum corpus, de vero quoq; & proprie ac-  
cepto pane dici, sed figuratè, non  
proprie?*

Respondeo, Metonymia est tropus dictionis, non in-  
tegræ prædicationis. Sed Beza singulas voces seu dictio-  
nes in prædicatione: Panis est corpus Christi: agnoscit ac-  
cipi proprie, non figuratè. Male ergo in attributionis seu  
prædicationis modo tropum Metonymias collocat. Dein-  
de quod priori affine est, quando tropus in copula poni-  
tur, tum necesse est prædicatum etiam tropicum seu figura-  
tum esse. Quia prædicatum est κατηγορέμενον, copula verò est  
συγκατηγορέμενον. Sed Beza teste κατηγορέμενον accipitur in  
propria sua significatione. Ergò necesse est etiam συγκατηγο-  
ρέμενον, Est, in propria sua significatione παρακλητικῶς accipi.

*Cur igitur non dicitur propria seu regularis prædicatio, vel cum  
utroq; terminus & copula est, accipiantur in propria sua signi-  
ficatione, cur igitur non est propria & regu-  
laris prædicatio?*

Respondeo. Distinguendum est inter significationes  
C vocum



vocum proprias, & inter prædicandi modum. Copula Est, secundum ἰσὺν ἑνὸν significat ἰσὺν ἑνὸν, & verè panis est corpus Christi substantiale, sed quod corpus prædicatur, de pane, is modus prædicationis est inusitatus, seu sacramentalis. Ita cum dicitur: Deus est homo, omnes voces secundum ἰσὺν ἑνὸν accipiuntur. Vere enim, & non improprie aut figurate, Homo est Deus, sed modus prædicationis est Inusitatus. Modus ergo prædicandi mutatus, non statim mutat nativam copulæ significationem. In omnibus enim modis prædicationum copula Est, accipitur in sua nativa significatione, sed prout sunt attributa, vel regulariter vel figurate aut sacramentaliter accepta, ita etiam modus prædicandi varius & dissimilis est. Et attributionis modus copulæ infert vel regularem vel figuratam vel inusitatam aut sacramentalem prædicationem.

*Sed quid sentis de loquutione Luca & Pauli: Hic calix, novum testamentum est in meo sanguine, Nonne hic figuram ullam agnoscis?*

Scio quid velis. Nam calicem putas Synechdochicè poni pro vino in calice, & sanguinem in calice novum testamentum appellari per Metonymiam, quia effectus positus sit pro causa, hoc est, sanguis non sit novum testamentum ipsum, sed illud, quo sancita & confirmata sit promissio remissionis peccatorum, & reconciliationis cum DEO per Christum.

*Recte coniectasti. Hoc est quod volo, & inde sic infero. Cum sit Synechdoche in voce calicis, & Metonymia in voce sanguinis, seu sanguis Metonymicè significet, non autem sit novum testamentum, non possunt verba cena sine Tropo accipi, nec simpliciter, sed figuratè intelligenda sunt?*

Respondeo,



Respondeo, Nonnulli ex nostris concedunt Synechdochen esse in voce calicis, quia continens positum fit pro contento, hoc est, calix pro vino in calice. Verum tum non simpliciter calix nominetur, sed additum fit, in sanguine meo, ac contentum in calice, sanguis Christi, expressè nominetur, non video cur opus sit Synechdochen admittere. Disertè enim Lucas & Paulus se declarant, quod non de calice, aut vino in calice, sed potissimum de sanguine in calice loquantur, quod ille sit nouum testamentum.

*Esto hoc, non potes tamen inficiari sanguinem  
esse nouum testamentum per  
Metonymian?*

Neq; hoc, vt simpliciter affirmatum concedo. Qui enim Metonymian admittunt, nouum testamentum specialiter interpretantur, pro sola reconciliatione cum D E O, seu remissione peccatorum, propter C H R I S T V M gratis donanda, Et vocem sanguinis intelligunt non de signo, sed obfignatione noui testamenti, quod sanguine C H R I S T I obfignetur ac sanciat promissio gratiæ, seu remissionis peccatorum, & hoc sensu ipsorum Metonymia admitti potest. Ea vero longè diuersa est à Sacramentariorum, quam illi vrgent, Metonymia.

Aliud enim est obfignatio, & aliud signum representans quippiam.

Verum in genere nouum testamentum significat non nudam promissionem remissionis peccatorum, sed etiam additas stipulationi, seu pactioni inter D E V M & fideles, actiones & ritus externos, in oculos incurrentes. Et in hac

C 2      significatione



significatione sunt plures partes noui testamenti. Prima est totum Sacerdotium Christi, qui nobis passione & morte sua, iratum Deum reconciliauit. Secunda est promissio Euangelij de donanda remissione peccatorum gratis propter Christum, & huic annexa sacramenta. Et sic cæna Domini, est pars, non signum noui testamenti. Tertia sunt ipsa bona promissa seu legata, vt sunt, reconciliatio cum Deo, remissio peccatorum, iusticia, salus, & vita æterna. In hac generali significatione vocis testamenti noui, Cæna Domini vt dictum, est pars illius, seu noui fæderis obsignatio, quia Christi sanguis è calice sumptus, omnia beneficia noui pacti obsignat, & applicat credentibus in eum. Est autem obsignatio & applicatio non signum significans res absentes, sed potius res præsentis exhibens & confirmans.

*Sed improprie tamen dici, negari non potest, quod poculum pro nobis effundatur. Sic enim Lucas Christum dixisse refert:*

*Hoc poculum est nouum testamentum in meo sanguine, quod pro vobis effunditur?*

Respondeo, Hæc loquendi forma luculentissimè declarat, quod ex poculo bibatur, non solum vinum, sed etiam sanguis Christi. Quia non vinum, sed Christi sanguis pro nobis effusus est. Ergò non tantum vinum, sed sanguis Christi etiam in poculo continetur, & propter summam copulationem vini & sanguinis in calice, proprium vnus alteri tribuitur, & sic etiam aduersariorum putida Metonymia de absentia sanguinis Christi fortissimè refutatur.

*Quomodo vero conciliatur τὸ ἰντὸν cum his phrasibus patrum & Lutheri, In, cum, sub pane datur corpus Christi.*

Hic subiiciam ipsius viri Dei Lutheri declarationem: Dixi quidem, eos, qui in communi sermone dicunt, corpus



pus Christi in, sub pane esse, non damnandos esse, cum testentur his verbis se credere, quod vere adsit corpus Christi in cæna. Verum si probari poterit, verba textus: Hoc est corpus meum: non admittere hanc locutionem, qua in concionibus, & collationibus, relicto textu integro & inuiolato, in testamento Domini utimur, parati sumus reuocare, ac dicere, non sic loquendum esse.

*Possunt ne ergo hæ particulae, In, cum, sub pane à nobis  
usurpari, ut Christi textus maneat integer  
& inuiolatus?*

Quid ni? patres enim orthodoxi his ipsis particulis, in, cum, sub pane, vsi sunt, ut unionem sacramentalem panis & corporis Christi, non transubstantiationem Elementorum cum corpore & sanguine Christi, verum vtriusq; realem præsentiam testarentur. Sic cum hodie Sacramentarij, verba Christi: Hoc est corpus meum: per Metonymiam accipiant, pro signo corporis Christi, procul in cælo absentis, & non vnà cum pane in cæna præsentis & sumpti: nos quoq; iisdem particulis utimur, ut veram & substantialem præsentiam corporis Christi, cum pane benedicto, fracto, seu distributo, contra eos asseueremus. Ideo in Augustana confessione etiam dicitur, quod verum corpus & sanguis Christi, verè, sub specie panis & vini, in cæna adsint. Et Apologia confessionis testatur, in cæna Domini verè & substantialiter adesse corpus & sanguinem Christi, & verè exhiberi cum illis rebus, quæ videntur, pane, & vino.

*Num hæ particulae localem inclusionem corporis Christi in  
pane, & sanguinis in vino stabiliunt?*

Aduersus Sycophantæ morsus nihil est tutum. Neq; hoc sensit, neq; scripsit vnquam aliquis è Doctoribus nostris,



stris, neq; sequitur in sacra Scriptura, vbi hæ particulae  
vsurpantur, ijs localem inclusionem denotari. An nescis  
inquit Christus, Iohan. 14. quod pater in me est, & ego  
in patre. Et Coloss. 2. In ipso habitat omnis plenitudo Dei-  
tatis. Ephes. 3. scribitur, quod Christus habitet in cordi-  
bus nostris. In his locis non significatur localis aliqua in-  
clusio, quasi pater in filio, vel filius in patre, vel Deitas  
in carne, vel Christus in cordibus nostris sit inclusione  
quadam locali, sed tantum describitur realis quaedam præ-  
sentia, atq; coniunctio supernaturalis, Ita corpus Christi  
dicitur in pane esse, non inclusiue, sed copulatiue, non  
physica delitescencia, sed vera, arcana tamen, seu non na-  
turali vnione.

*Sunt ne similes particulae in alijs Scri-  
pturae locis?*

Sunt. Paulus Rom. 9. scribit: Christus est verus Deus.  
Hanc propositionem aliter effert 2. Corinth. 5. Deus erat  
in Christo. Et Iohan. 11. dicit Christus, Ego sum vita. Sed  
Iohan. 1. scribitur: In ipso vita erat. Has propositiones si  
quis inter se pugnare, & ob voces paululum mutatas, sen-  
tentiam diuersam gignere dixerit, ipsum Spiritum sanctum  
erroris culpauerit.

*Quomodo intelligendum est, quod Lutherus vocat Sy-  
necdochen: Hoc est corpus meum?*

Lutherus non intelligit Synecdochen, sicut Rhe-  
tores eam definiunt, sed secundum Etymologiam vocis  
sentit vtramq; rem, terrenam & caelestem, simul compre-  
hendi, & vno actu distribui & sumi panem & corpus CHRIS-  
TI. Vox enim Synecdoche comprehensionem signi-  
ficat.

*Qua*



*Qua est utilitas distributi & accepti corporis &  
sanguinis Christi in cæna?*

Id docet pronomen pro vobis, & verba de secunda parte calicis: Qui effunditur pro vobis in remissionem peccatorum. Vt enim traditum est pro nobis redimendis corpus Christi in cruce, & sanguis illius effusus est in remissionem peccatorum: ita eadem distribuuntur nobis in cæna; vt vsus seu efficacia passionis Christi nobis applicetur & obfignetur. In cæna igitur vsus passionis, non factum passionis tractatur.

*Quis est finis seu scopus institutæ cænæ?*

Vt nos eadem faciamus, quæ Christus prior fecit, cænam administremus, & CHRISTI memoriam iuxta expressa verba conseruemus: Hoc facite in mei commemorationem.

*Quot sunt igitur substantialia, seu res constituentes sacramentam cænæ à nobis administrandam?*

Tres, 1. Materia ex qua, panis, & vinum, corpus, & sanguis Christi. 2. Recitatio verborum Christi, monens auditores, quid secundum verba Christi sit & credendum, & faciendum in sacra cæna. 3. Actio distributionis & sumptionis vtriusq; rei terrenæ & cælestis, in cæna pariter, modo tamen diuerso, præsentis. Ex his tribus, vno sublato, non est verum sacramentum cænæ Dominicæ. Et huc pertinent regulæ: Sacramenta, extra vsum institutum, non sunt sacramenta. Item Christus non est sub sacramento, nisi eatenus, quatenus est ordinabile in vsu humanum, id est, ad manducationem.

*Quid*



*Quid significat in his regulis vox usus?*

Idem quod actio distributionis & sumptionis. Nam ideo instituta est cæna, ut ea utamur. Non igitur accedente usu distributionis ac sumptionis, non est cæna Domini, quia ad hunc usum Christus præsentiam suam allegavit, iuxta verba: Accipite, comedite, hoc est corpus meum. Quod igitur non accipitur, nec comeditur, non est corpus Christi.

*Sed quid sentis de sacramentariorum explicatione, qui vocem usus de fidei sumptione, & non de externa oris commestione accipiunt?*

Certum est supra recitatas regulas pontificijs oppositas esse, ut probarent non repositum, sed distributum & sumptum panem corpus Christi esse. Deinde & hoc certum est, teste Augustino contra Donatistas cap. 14. Non interesse cum de sacramenti integritate tractatur & sanctitate, quid credat, aut quali fide imbutus sit, qui accipit sacramentum. Interest quidem, ait, plurimum, sed ad salutis viam, sed nihil interest, ad sacramenti quæstionem. Fieri enim potest, ut homo integrum habeat sacramentum, & peruersam fidem.

*Cur actio Cænae Dominica sæpe celebranda est?*

Ad commemorationem Christi. Nam hanc sacramentationem perpetuum voluit esse Christus *μνημόσυνον*, quo memoria passionis & mortis ipsius pro nobis susceptæ renouaretur, atq; ita fides in ipsum, in nobis aleretur, confirmaretur, & aueretur. Loquuntur igitur hæc verba: in commemorationem mei: proprie de fine sacrae cænae, ac de perceptione Christi, quæ fit fide.

*Quotupliciter ergo percipitur corpus Christi in cæna?*  
Dupliciter, Sacramentaliter, & Spiritualiter.

Quid



*Quid est sacramentalis sumptio?*

Sacramentalis, seu externa sumptio est, in qua sumitur verum corpus & sanguis Christi, cum his rebus, quæ videntur, pane & vino, vt Apologia Augustanæ confessionis loquitur.

*Quomodo hoc probas, dato pane, corpus, & præbito vino, sanguinem Christi in cæna exhiberi?*

Paulus 1. Corinth. 10. Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? Inde sic colligitur: Fractio panis est communicatio corporis Christi: Fractio panis est externa, Ergo etiam est externa communicatio corporis Christi.

*Cur dicitur Sacramentalis sumptio?*

Quia tantum fit in sacramento cænæ, estq; præsentia & distributio corporis & sanguinis Christi, cum visibilibus elementis, arcana, & rationi incomprehensibilis.

*Quid est spiritualis sumptio?*

Ea proprie est manducatio fidei firmiter credentis, corpus Christi in cruce traditum, & in sacra cæna cum pane distributum, esse satisfactionem pro peccatis nostris, & propter illius meritum imputari nobis iusticiam, & constitui nos hæredes vitæ æternæ. Et eatenus sacramentalis sumptio seruit spirituali, vt nimirum externa illa actio, distributionis, & sumptionis, vtriusq; rei, terrenæ & celestis, commonefaciat nos de morte corporis Christi in cruce, quod ea sit sufficiens meritum, ad expianda totius mundi peccata, & singuli vtentes sacra cæna se in illud meritum firma fide includant.

*Fit ne spiritualis sumptio in sola cæna?*

Non, quia fit singulis momentis, quando pij fide re-  
cumbunt



cumbunt in promissiones gratiæ, & meritum Christi: ita patres & prophetæ etiam in veteri testamento, fide, seu spiritualiter manducarunt carnem Christi, tunc nondum natam.

*Vbi præterea fit mentio huius spiritualis  
sumptionis?*

Iohan. 6. Qui edit carnem meam, & bibit sanguinem meum, habet vitam æternam, caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verus est potus.

*Cur vero præter hanc instituta est in cæna sacramentalis  
sumptio corporis & sanguinis  
Christi?*

Vt spiritualement illam fidei manducationem Iohan. 6. velut testimonio seu pignore confirmet & obfignet, ac nos commonefaciat de corpore & sanguine Christi, tradito pro nobis in cruce ad remissionem peccatorum, & iusticiam ac salutem æternam promerendam.

*Collige quæso mihi præcipua argumenta probantia non inesse  
figuram ullam in his verbis Christi: Hoc est corpus  
meum: Hic est sanguis meus: sed ea simpli-  
citer, sicut sonant, accipi-  
enda esse.*

*I. Argumentum sumitur.*

A veritate verborum Christi: Accipite, comedite, hoc est corpus meum, bibite, hic calix est sanguis meus &c. Cum enim Christus sit verax, nemini dubium esse debet, hanc sententiam, quam verba simpliciter intellecta gignunt, veram esse, præsertim cum sint verba testamenti. Non enim teste Iurisconsulto, recedendum est à verbis testatoris, quia



quia talis præsumitur fuisse intentio, qualem verborum  
proprietas importat, & non est credendum testatorem id  
velle, quod non dixit. Item: Non præsumere debemus  
testatorem aliud voluisse, quàm verbis expressit. Nam si  
contrarium volebat, nulla erat difficultas scribere. Non  
igitur credimus testatorem velle nisi illud, quod expri-  
mit.

Si verbis simpliciter intellectis insistas, scribit D. Luthe-  
rus, tam in morte tua, quam extremo iudicio, lætus cum  
filio D E I in hunc modum colloqui potes. Dilecte Do-  
mine Iesu, Dissensio orta fuit de verbis cænæ tuæ. Qui-  
dam voluerunt, vt verba aliter intelligerentur, quàm so-  
nant. Sed cum nihil certi me docerent, imo magis me du-  
bium & intricatum redderent, & suum textum probare  
nec possent, nec vellent, tuo textui firmiter inhæsi, & ver-  
ba sicut sonant intellexi. Si quid est in eis obscuritatis,  
tum tu ea obscura esse voluisti. Nam nullam aliam eorum  
interpretationem monstrasti, nec vt nos eam adderemus  
præcepisti. Si ergo me oporteat incertum ac obscurum  
textum & sensum habere, potius cum elegerim, qui ore  
diuino pronunciatus, quam qui hominum ore dictatus  
est. Adeoq; si decipi ac falli debeam, à D E O potius (si  
sit possibile) falli volo, quam ab hominibus. Nam si Deus  
me faller, facile me excusabit, & damnum inde proueni-  
ens abundè compensabit.

2. *A Consensu trium Euangelistarum, &  
Apostoli Pauli.*

Qui iisdem verbis & syllabis fere testantur panem esse  
corpus Christi, pro nobis traditum, & vinum esse sangui-  
nem Christi, pro nobis effusum.

D 2

Si vero



Si vero figura vel tropus aliquis verbis Christi inesset, procul dubio vnus ex Euangelistis eum annotasset. Quod cum non factum sit, tutissime simplicitati verborum piemens insistit. Nec obstat, quod Lucas, & Paulus, in posteriori parte verborum institutionis, ab alijs duobus Euangelistis nonnihil variant. Nam discrepantia illa est in sola transpositione verborum, sine sensus verborum proprie intellectorem mutatione. Vtrobique enim nouum testamentum idem est, quod promissio gratiæ & salutis æternæ, & sanguis in Luca & Paulo, perinde vt in Matthæo, non signum aut figuram sanguinis, sed verum ac essentialem sanguinem Christi, quo nouum foedus sancitum est, denotat. Matthæus ergo & Marcus affirmant dari sanguinem Christi, qui est proprius noui testamenti. Lucas vero & Paulus hunc sanguinem in calice dari, & verè ibi adesse testantur, & sic sanciri ac confirmari nobiscum nouum testamentum seu foedus gratiæ cum Deo, per Christi sanguinem conciliatum. Vt cunq; igitur ordo verborum in Luca & Paulo paululum variatus est, inquit Lutherus, necesse est hanc vtriusq; sententiam esse, quam Matthæus & Marcus his verbis efferunt: Hic est sanguis noui testamenti. Cum enim Lucæ verba sic accipiuntur, quod præbeant nobis in cæna sanguinem Christi, ad sancendum nouum testamentum, de vera illius sententia nobis constat. Quia poculum est nouum testamentum in sanguine Christi, aut cum, vel propter sanguinem Christi. Nam poculum non potest esse nouum testamentum in argento, aut per vel propter argentum, sed propter sanguinem Christi. Iam hæ duæ locutiones, Nouum testamentum in meo sanguine, & meus sanguis noui testamenti, non sunt contrariæ, sed vtriusq; verba & sensus est idem, nisi quod ordo mutatus, seu collocatio verborum inuersa est. Qui aliam illis sententiam affingit, pugnantia



gnantia eos cum cæteris Euangelistis tradidisse fingit, quod nemo pius vnquam affirmabit, sicut prolixè Lutherus in magna confessione de cæna Domini hæc Lucae & Pauli verba, illustrius etiam ac nervosius, quam Matthæi & Marci formam, fanaticos refutare ostendit.

3. *Ab autoritate Christi.*

Qui ipse verborum suorum: Hoc est corpus meum, interpres, subiicit hanc declarationem. Quod pro vobis traditur. Est autem non typicum, non allegoricum, sed verum ac naturale Christi corpus, pro nobis traditum, Ergò idipsum sumpto pane datur & accipitur.

Idem Christus de vino dicit: Hic est sanguis meus novi testamenti: Sed nouum testamentum sancitum est vero & naturali, non typico sanguine Christi. Ergò cum vino exhibetur verus & substantialis sanguis Christi.

4. *A testimonio Pauli 1. Cor. 10.*

Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est?

*Inde sic argumentantur nostri.*

Nisi in, & cum pane benedicto cænae Dominicæ, distribuere verum & naturale corpus Christi, Paulus non diceret panem benedictum esse communicationem corporis Christi, sed vel fidei, vel spiritus, seu virtutis, & efficaciam Christi.

Sed Paulus dicit panem benedictum esse communicationem corporis, & calicem, communicationem sanguinis Christi. Ergò cum & in pane ac calice benedicto distribuitur verum & naturale corpus & sanguis Christi. Quod autem Sacramentarij per *κοινωνίαν* intelligunt ius seu societatem corporis Christi, refutat eos mox addita explicatio





Pauli dicentis : Omnes ex vno pane μετέχομεν , hoc est, participamus. Si enim participatio fit ab omnibus , non tantum est credentium , sed etiam infidelium propria. Et per consequens non tantum est κοινωμία spiritualis , sed etiam externa, communis omnium accedentium, tam impiorum, quam piorum. Et sicut omnes participant panem, ita etiam corpus Christi participant.

5. *Ab eiusdem testimonio 1. Corinb. 11.*

Qui edit & bibit indignè , reus fit corporis & sanguinis Christi. Si corpus & sanguis Christi non adessent verè & substantialiter præsentia cum pane & vino in sacra cæna , indignè manducantes non fierent edendo & bibendo rei corporis & sanguinis Christi.

Sed teste Paulo indignè manducantes panem in cæna, & bibentes vinum, fiunt rei corporis & sanguinis Christi, ipso esu & usu Eucharistiæ & quod Domini corpus non discernunt à communibus cibis. Ergò in sacra cæna verum corpus & sanguis Christi, verè & substantialiter præsentia sunt. Sed hoc argumentum Calvinistæ friuola elusione eleuare conantur.

*Quæso, quæ est illa?*

Iniuria aiunt symbolis illata redundat in res ipsas; hoc est, corpus & sanguinem CHRISTI, vt si quis aquilam Imperatoris, aut sigillum Principis contumeliosè tractet.

*Quomodo refutanda est hæc Elusio?*

Refutatur clarissimis Pauli verbis: Qui indignè edit, & bibit, iudicium sibi edit, & bibit. Hic enim ostendit Apostolus reatum iudicij ab indignis contrahi non respucendo, aut contumelia afficiendo symbola cænæ Dominicæ, sed indignè manducando illum panem, de quo Christus

stus



stus in cæna dicit: Hoc est corpus meum. Ideoq; cum rei  
fiant corporis Christi, indignè accepti & manducati, ne-  
cesse est indignos corpus verè accipere & manducare,  
aliàs tantum panis, & non corporis CHRISTI rei fie-  
rent.

6. *Anatura fæderum.*

Proprium est omnium fæderum, vt de eadem victima  
fæderali detur vtriq; parti, vt Exodi 24. dimidium sangui-  
nis fæderalis funditur super altare, & offertur Deo, & al-  
terum dimidium in crateras infunditur. Item victima  
agni paschalis non solum Deo oblata est, sed etiam corpus  
eius à Iudæis manducatum, ac sanguis postibus domuum  
illorum aspersus est. Ita filius DEI nouum fædus de re-  
missione peccatorum sanciens inter DEVM & homi-  
nes, partim sanguinem suum effudit in cruce, eumq; Deo  
patri obtulit, & partim in cæna discipulis eum biben-  
dum distribuit, vt certi essent de promissione, & recon-  
ciliatione cum DEO, & peccatorum suorum remissio-  
ne.

7. *Ab autoritate Apostoli & Euange-  
listæ Iohannis.*

I. Iohan. 5. scribitur: Iesus Christus venit per aquam  
& sanguinem, non per aquam solum, sed per aquam & san-  
guinem. Et tres sunt, qui testificantur in terra, Spiritus,  
aqua, & sanguis, & hi tres in vnum consentiunt. Intelligi-  
tur autem per aquam & sanguinem, baptismus, & cæna  
Domini, iuxta veterum, & recentiorum multorum inter-  
pretationes. Cum igitur Spiritus sanctus affirmet, non  
aquam tantum, sed sanguinem etiam cænae Dominicæ in  
terris præsentem esse, certum est non representari aut  
adumbrari eum absentem in cælo, vt Calvinistæ senti-  
unt.

A consensu





*A consensu totius orthodoxæ antiquitatis, verba sacre  
cena simpliciter, ut sonant, interpretantis.*

Ignatius Martyr citante Theodoro Dialogo tertio:  
Eucharistia est caro seruatoris nostri Iesu Christi, quæ pro  
peccatis nostris passa est, quam pater sua benignitate susci-  
tauit.

Iustinus Martyr in Apologia ad Antoninum pium, pa-  
gina 180. Non enim vt communem panem, neq; commu-  
nem potum ista sumimus, sed quemadmodum per verbum  
Dei caro factus est Iesus Christus seruator noster, & carnem  
& sanguinem salutis nostræ causa habuit, Ita etiam hunc  
cibum, per precationis verbum ab ipso prolatum benedi-  
ctum, ex quo sanguis & caro nostra per alterationem nu-  
triuntur, incarnati illius Iesu Christi carnem & sanguinem  
esse edocti sumus. Sic enim in Euangelio refertur,

*Irenæus lib. 4. cap. 34.*

Quemadmodum qui est à terra panis percipiens voca-  
tionem Dei, iam non communis est, sed Eucharistia, ex  
duabus rebus constans, terrena, & cælesti: Sic & corpora  
nostra percipientia Eucharistiam, iam non sunt corruptibili-  
lia, sed spem resurrectionis habentia.

*Tertullianus de resurrectione carnis.*

Caro corpore & sanguine Christi vescitur, vt et anima  
de Deo saginetur.

*Cyprianus sermone de lapsis.*

Iacens stantibus, integris vulneratus minatur, & quod  
non statim Domini corpus inquinatis manibus accipiat,  
aut ore polluto Domini sanguinem bibat, sacerdotibus sa-  
crilegus irascitur.

*Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio.*

O miraculum, & Dei benignitatem, qui cum patre  
sursum



furfum fedet, in illo ipfo temporis articulo, omnium manibus pertractatur, ac fe ipfe tradit volentibus illum accipere & complecti.

*Idem Homilia 60.*

Ipfius Christi fermo infallibilis, fensus autem noster feduci facilis, Ille nunquam decidit, hic autem vt plurimum errat. Quoniam igitur verbum dicit: Hoc eft corpus meum; & pareamus, & credamus.

*Epiphanius in Ancorato.*

Qui non credit effe verum ipfum ficut dixit, is excidit gratia & falute.

*Cyrillus in epiftola ad Nestorium.*

Ad myfticas accedimus benedictiones, ac fanctificamur participes facti fanctæ carnis, preciofiq; sanguinis Seruatoris noftri omnium, nec vt communem carnem accipimus, abfit, neq; tanquam viri fanctificati, & verbo fecundum dignitatis vnitatem coniuncti, vtpote velut diuinam inhabitationem adepti, fed vt verè viuificatricem, & ipfius verbi propriam.

*Ambrosius apud Theodoretum lib: 5. cap: 18. ad Theodofium Imperatorem.*

Iftasne adhuc stillantes iniuftæ cædis cruore manus extendes, & ijs fanctiffimum Domini corpus prendes? Vel tu preciofum illum sanguinem admouebis ori tuo, qui tantum effuderis sanguinis dictato furentis animi.

*Augustinus in sermone ad Neophitos citante Beda.*

Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce, & hoc accipite in calice, quod eft effufum de Christi latere. Erit enim illi mors, non Vita, qui mendacem putauerit Christum.

E

*Idem*



*Idem in sententijs Prosperij.*

Hoc est quod dicimus, & modis omnibus approbare contendimus, sacramentum hoc duobus confici, duobus constare, visibili Elementorum specie, & inuisibili Domini nostri Iesu Christi carne & sanguine.

*Idem epistola 118.*

Placuit Spiritui sancto, vt in honorem tanti sacramenti, in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam ceteri cibi. Item Sermone de tempore: Videte fratres si iustum sit, vt ex ore christianorum, vbi corpus Christi ingreditur, luxuriosum canticum quasi venenum proferatur.

*Leo 1.*

Sic sacræ mensæ communicare debetis, vt nihil prorsus de veritate corporis & sanguinis Christi ambigatis. Hoc enim ore sumitur, quod fide creditur, & frustra ab illis Amen respondetur, à quibus contra id, quod dicitur, disputatur.

*Bernhardus in sermone de cena Domini.*

Tria in sacramento altaris attendere debes, speciem panis, veritatem carnis, & virtutem gratiæ spiritualis. Quod videmus species est panis & vini, quod sub illa specie credimus, verum est corpus, & verus sanguis CHRISTI, quod pependit in cruce, & qui fluxit de latere.

*Quibus argumentis dissentientes Sacramentarij hac firma & immota fundamenta presentia corporis & sanguinis Christi in cena oppugnant?*

Primum sumunt ab Incarnatione Christi:

Contra naturam est corporis humani physici, vt sit simul & eodem tempore in pluribus locis.

Christi



Christi corpus est physicum.

Ergo non potest simul in caelo, & in his terris praesens esse, vbi caena administratur.

Respondeo, corpus physicum, per se consideratum, extra copulationem personalem cum diuina natura, non potest simul, nisi in vno loco praesens esse. Sed corpus Christi vnitum diuinitati in persona Christi, est in omnibus locis, vbi caena administratur, substantia sua, non quidem proprietate naturae seu essentiae, sed vnione personae, quia subsistit in persona, quae vbiq; & in omnibus locis praesens est, & copulatur diuinitati in ea persona *αδιασάτως*, indistanter, vt Damascenus scribit, hoc est, vt nullis locorum distantijs à se inuicem naturae separantur. Et Lutherus in Ecclesiasten scribit: Christus extra locum est, contra illos, qui captiuant Christum loco, cum tamen vbiq; sit. Neq; enim verbum **D E I** segregatur à carne. Vbi **D E V S** est, ibi & caro Christi est.

Deinde respondeo per Instantiam: Natura tam abhorret à penetratione dimensionum, quam à multitudine locorum vnus corporis eodem tempore. Et tamen constat ex historia Euangelij Christum resurgentem transiisse lapidem, & per ostia clausa ad Discipulos ingressum esse.

Ideo Augustinus scribit epistola 3. Virtus diuina per inuiolatae matris viscera, membra Infantis eduxit, quae postea per clausa ostia, Iuuenis membra introduxit. Hic si ratio quaeritur, non erit mirabile, si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus **D E V M** aliquid posse, quod nos fateamur inuestigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis.

E 2

Secundum



*Secundum, ab ascensione in caelum.*

Pugnantia cum articulis fidei non sunt asserenda.

Substantialis praesentia corporis Christi in caena, pugnat cum articulo ascensionis in caelum.

Ergo substantialis praesentia corporis Christi in caena non est asserenda.

Respondeo, concedo Maiorem, sed nego Minorem, quod substantialis praesentia corporis Christi in caena pugnet cum ascensione in caelum. Nam Christus aliter in caelum ascendit, quam Elias, aut David, ut non tantum conspectu Dei beatus fruatur, sed sedeat ad dexteram Dei patris omnipotentis, hoc est, ut regnet pari potentia, & maiestate, cum Deo patre aeterno. Et Ephes: 4. Paulus scribit: Ascendit longè super omnes caelos, ut omnia impleret. Ascensio igitur in caelum non tollit, sed potius stabilit praesentiam corporis Christi in omnibus locis terrae, ad quae Christus suo verbo se alligavit. Ideo enim ascendit, ut omnia impleret, non solum nuda diuinitate, sed etiam cum carne, ut Oecumenius, & Theophylactus interpretantur. Deinde caelum in quod Christus ascendit, non est talis aliqua habitatio, qualem Aduersarij imaginantur, certis spacijs, seu angelorum, & beatorum hominum domicilijs distincta, sed est lux inaccessa, & gloria inconspicui Dei. Ideo Bucerus etiam in retractationibus suis, pie & modestè scribit: Cum caeli, ad quos Christus ascendit, sint supra omnes caelos, equidem non ausim illos definire, nisi scripturae verbis, non nostrae rationis praedicationis. Scripturae autem illos non nisi beatitudine, maiestate, sublimitate, & virtute diuina, definiunt, non locorum intercapedinibus. Et Dominus Philippus in epistola ad Oecolampadium scribit: Indigna est Christianis opinio, quod Christus ita quandam caeli partem occuparit, ut in ea  
tanquam



tanquam inclusus carceri sedeat. Et ad Martinum Gerolium scribit: Ego magis malim, quam hoc affirmare, quod illi affirmant, Christi corpus non posse, nisi in vno loco esse. Ideo constanter arguas eos, publicè, & priuatim, cum erit occasio.

*Tertium à sessione Christi ad dexteram Dei  
patris omnipotentis.*

Qui sedet ad dexteram Dei in excelsis, seu in caelestibus, non potest esse in terra praesens.

Christus sedet ad dexteram Dei patris in caelis.

Ergò non potest esse in terra praesens.

Responsio per Inuersionem: Qui sedet ad dexteram Dei &c. Is potest esse in caena, & vbicunq; suo verbo se alligauit. Nam per dexteram patris intelligitur omnipotentia Dei patris, & sedere ad dexteram patris, est cum patre aequali potentia & maiestate regnare, esse Dominum peccati, & iusticiae, mortis & vitae, & vniuersae creaturae. Sedere enim regnare est. Ita iam humana natura exaltata est etiam supra angelos, & sublimior caelis facta. Vbicunq; igitur praesens est dextera Dei, ibi etiam Christus, Deus, & homo, praesens est. Nec quod dicitur sedere in caelestibus, eò tendit, vt Dei dexteram caelo includat, sed vt sciamus Christum eò altitudinis euectum esse, vt in caelesti gloria, in beata immortalitate, inter Angelos, summum fastigium obtineat.

*Quartum, à reditu ad extremum Iudicium.*

Qui venturus est, non adest.

Christus ad iudicium venturus est.

Ergò non adest in caena.

Primum respondeo per Instantiam. Ex Actis 23. cap. constat Christum corpore suo astirisse Paulo in castris, Et cap. 9. Ananias ad Paulum dicit; Dominus Iesus misit me,





qui apparuit tibi in via, qua veniebas. Ergò Christus etiam ante extremum iudicium in his terris corpore suo adfuit, & se videndum Discipulis suis exhibuit. Deinde Act. 2. Vera solutio monstratur, quod rediturus sit in extremo iudicio, eo modo, quo ascendit in cælum, hoc est, visibili & glorioso. Is autem modus non tollit inuisibilem eius præsentiam in sacra cæna, & tota Ecclesia sanctorum.

*Quintum. Act. 3. scribitur.*

Oportet Christum cælo capi vsq; ad tempora restitutionis omnium.

Qui igitur capitur cælo vsq; ad diem extremum, non adest interea in terra.

Corpus Christi capitur cælo &c. Ergo &c.

Respondeo primum per Instantiam: Si capitur cælo corpus Christi, falsum est, quod Ephe. 4. scribitur: Ascendit supra omnes cælos &c.

Aut igitur non ascendit supra omnes cælos, aut certo cæli loco non capitur. Deinde ipse Calvinus sentit verbum *δέξασθαι* ambiguum, seu dubiæ significationis, non vrgendum esse, quod tam actiuè, quam passiuè accipi possit. Tertio quod hoc loco non accipi debeat passiuè, sed actiuè, manifestum est ex scopo concionis Petri, qui adhortationem suam ad agendam pœnitentiam, confirmat duobus potissimum argumentis, prius sumptum est ab utili; Ut deleantur peccata resipiscentium. Secundum ab extremo iudicio, in quo iudex erit filius Dei, quem dicit nunc post resurrectionem cælum occupasse, seu præditum esse gloria, maiestate, potentia, regno, & imperio cœlesti, & fore ut in ea maiestate rursus appareat, & pios liberatos ab omni malo, & in integritatem restitutos, æterno gaudio beet, & è contra impios æterno supplicio afficiat. Nam his verbis: Vsq; ad tempora restitutionis omnium: velut digitum



gitum intendit Petrus in Psal. 110. Sede à dextris meis, donec ponam inimicos meos, scabellum pedum tuorum. Et in dictum Pauli 1. Corinth. 15. Oportet eum regnare usque quo omnes inimicos subiecerit pedibus suis. Aequipollent ergò hæ locutiones: Cælum capere usque ad tempora restitutionis, & sedere à dextris Dei, donec ponantur inimici eius, scabellum pedum ipsius. Item: oportet eum regnare &c. Nam Christus post mortem resurgens, diuina virtute & potentia præditus est, ut pedibus suis omnes hostes sibi subiiciat, priusquam veniat nouissimus dies, in quo iudex erit piorum & impiorum. Hæc sententia tantum abest ut tollat præsentiam corporis Christi in cæna, ut eam magis confirmet.

*Sextum. Iohan. 16.*

Exiui à patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad patrem.

Ergò quia mundum reliquit, non potest in cæna præfens esse.

Respondeo, sicut venit in mundum, ita etiam reliquit mundum.

Aduentus autem non fuit localis motus, sed exinanitio, quæ comprehendit natiuitatem Christi, & passionem ac mortem ipsius ignominiosissimam. Econtra reditus ad patrem, non tam fuit localis discessus è mundo, quam glorificatio, seu exaltatio Christi, qua stabilitur eius præsentia in Ecclesia & cæna, sicut Bucerus etiam hæc dicta declarat ista testificatione de abitione sua è mundo ad patrem, certum est Dominum nihil docere amplius voluisse, quam se ex ratione viuendi huius seculi ærumnosa & sensibus exposita in gloriosam & cælestem viuendi rationem concedere quæ propria est resurrectionis & futuri seculi.

Septimum.



*Septimum.*

Matth : 26. Christus inquit : Pauperes semper habetis vobiscum, me verò non semper habetis. Ergo non est corpus Christi in cæna. Respondeo, Antecedens intelligendum est de visibili præsentia, qua non semper se Discipulis pauperem adfuturum Christus affirmat. In cæna autem & contubernio piorum inuisibiliter adest credentibus, vsq; ad consummationem seculi.

*Octauum.*

Memoria est rerum non præsentium, sed absentium. Cæna Domini celebratur in memoriam Christi. Ergò non est Christus in Cæna corpore suo præsens. Ad hoc Argumentum ipse Calvinus respondet. Prompta est responsio, quia cæna est recordatio Christi ab illa abesse. Neq; enim adest visibiliter, neq; oculis cernitur, sicut Symbola, quæ ipsum figurando, memoriam nostram excitant. Dicitur igitur ideo Cæna recordatio Christi, quia cum non adsit visibiliter, testatur eum nihilominus tamen inuisibiliter præsentem esse. Aliqui etiam respondent, memoriam illam non simpliciter referri ad corpus & sanguinem Christi, sed ad traditionem corporis in mortem & effusionem sanguinis in cruce, quæ non est ratione temporis præsens sed ante multa secula ratione actus seu operis sui transijt. Deinde nego maiorem, quia memoria sæpè etiam est rerum præsentium, Vt festa veteris testamenti Deus instituit in memoriam ac recordationem sui. Quis autem inde ratiocinabitur Deum ideo à festis illis procul abfuisse. Et Eccles : 12. dicitur : Memento creatoris tui in iuuentute Hinc verò non sequitur Deum abesse ab hominibus, in iuuentute.

*Nonum.*

Signum non est res signata, Symbolum, figura, cuius non est res ipsa, quæ figuratur.

Panis



Panis, & vinum à veteribus nominantur signum, figura, ἀντίτυπον corporis & sanguinis.

Ergò, Panis non est ipsum corpus sed signum longissimè distans, & in cælo absentis corporis Christi.

Respondeo, veteres appellatione signorum seu figurarum respexerunt tantum ad vnâ partem sacramenti, videlicet ad externa & visibilia elementa panis, & vini, non autem ad corpus & sanguinem Christi. Ideo Hilarius inquit: Corpus Christi, quo in altari participamus, figura est, quatenus panis & vinum exterioribus apparent sensibus, veritas autem est, quatenus corpus & sanguis in veritate cordis creditur. Et Augustinus: Christi corpus, & veritas, & figura est. Veritas quidem in quantum virtute Spiritus sancti ex substantia panis & vini corpus efficitur. Figura vero est illud, quod exterioribus sensibus subiacet. Elementa igitur secundum veteres sunt externa visibilia signa, quæ testantur de inuisibili præsentia & exhibitione corporis & sanguinis Christi.

*Decimum.*

Omniū sacramentorum verba sacramentaliter intelligenda sunt.

Cæna Domini est sacramentum.

Ergò eius verba sunt sacramentaliter intelligenda, & per consequens, panis est corpus sacramentale, seu typicum, non verum.

Respondeo, oppono maiori hanc verissimam regulam de singulis sacramentis, ex verbis institutionis illorum, tanquam propria sede, in qua quodlibet fundatur & traditur, iudicandum est. Cum igitur in cæna Christus dicat de pane exhibito: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: simpliciter credimus, porrecto pane, cum eo exhiberi verum & substantiale corpus Christi. Deinde respondeo

F

ad





ad minorem, nusquam in sacris literis vocem sacramenti  
cænæ Dominicæ tribui, sed Christus testamentum appel-  
lat, in quo clarissimis verbis testator voluntatem suam ex-  
ponere solet. Tertio est Fallacia Aequiuocationis in voce  
sacramenti, quæ alias idem significat, quod mysterium ab-  
sconditum à ratione humana: ita cænæ est sacramentum,  
hoc est, mysterium, quia panis & corpus vniuntur mysti-  
ca, seu arcana, seu imperscrutabili ratione.

Aliàs accipitur pro sacræ rei signo. Quod ad hanc  
significationem attinet, conceditur cænæ, vt alia omnia  
sacramenta, nominari signum, ratione causæ finalis, &  
effectus principalis, quia est signum gratiæ, seu testimo-  
nium voluntatis DEI, erga nos propitiæ, & sigillum iu-  
sticiæ fidei, seu signum foederis, & nota Confessionis.  
Sed Aduersarij perperam transferunt vocabulum signi,  
ad causam materiale & formale sacramentorum. Ideo  
Lutherus in magna confessione sua eruditè monet, Sa-  
cramentum vel actionem, & verba de sacramento pro-  
lata, duo quædam distincta esse. Sacramentum inquit seu  
actio ipsa, signum & typus rei alterius esse potest. Verba  
autem propriè aliud nihil, quam sonant, exprimunt. Ita  
agnus paschalis Mosis, CHRISTVM quidem ipsum  
adumbrat, denotatq; Verba autem Mosis de hoc agno  
propriè hunc ipsum agnum paschalem, & aliud nihil,  
denotant. Sic Circumcisio veteris Adami mortifica-  
tionem quidem typicè significat, verba autem ipsa,  
quibus de hac circumcisioe Moses loquitur, de cor-  
porali propriè Circumcisioe intelligenda sunt. Baptis-  
mus etiam peccatorum submersionem significat. Ipsa au-  
tem verba simpliciter immersionem in aquam deno-  
tant.

Ita sacramentum cænæ Domini licet aliquid adum-  
bret,



bret, & significet, Christianorum videlicet, in vno spiri-  
tuali Christi corpore, vnionem, per eundem Spiritum,  
fidem, dilectionem, afflictionem. Verba tamen de hoc  
sacramento simpliciter illud exhibere oportet, quod fo-  
nant.

XI.

Christus dixit: Hoc est corpus meum.

Ergo non in hoc est corpus ipsius, aut caro inuisibi-  
lis, in, vel sub hoc pane existens est ipsius corpus.

Primum respondeo per Instantiam. D. Augustinus  
scribit: Nos in specie panis & vini, quam videmus, res  
inuisibiles, carnem & sanguinem Christi honoramus. Cy-  
prius: Nec potest videri sanguis eius, quo redempti &  
viuificati sumus, esse in calice. Cyrillus: Sacram eius car-  
nem, & preciosum sanguinem, accipimus in pane & vi-  
no. Hi patres cum vobis sint Orthodoxi, quo iure in vo-  
bis phrasas eorum condemnatis? Ipsi ergo iudices vestri  
erunt. Deinde non pugnant antecedens & consequens,  
quia hoc velut expositio seu declaratio illius est, osten-  
dens corpus prædicari de subiecto. Hoc propter mysti-  
cam rei terrenæ & cœlestis vnionem, & vtramq; rem in  
sacra actione copulatam quidem, sed non transmutatam  
esse, sicut extant similes loquutiones de Christo: Christus  
est Deus, Deus erat in Christo, In ipso inhabitat tota ple-  
nitude diuinitatis, Est in forma D E I & c. Hæc exempla  
non sunt dissimilia, quia vetustas contulit vnionem panis  
& corporis cum vnione hypostatica duarum in Christo  
naturarum. Augustinus: Eucharistia constat visibili ele-  
mentorum specie, & inuisibili Domini nostri Iesu Chri-  
sti carne, sicut Christi persona constat ex D E O & ho-  
mine.

F 2

Iustinus:





Iustinus : Vt Christus seruator noster carnem & sanguinem pro salute nostra habuit : sic cibum ab ipso sanctificatum , illius incarnati carnem & sanguinem esse dicimus. Leo : Incarnationis exemplo , astruamus mysterij veritatem.

Tertio non principaliter disputatur de his loquutionibus , in, sub, cum pane , sed de natiua sententia verborum Christi : Hoc est corpus meum. De ea si conueniret inter nos & Aduersarios , nihil de particulis , in, cum, sub, rixaturum se cum quoquam Lutherus affirmat. Dixi quidem, inquit, eos qui in communi sermone affirmant , corpus Christi in vel sub pane esse , non damnandos esse , cum testentur his verbis se credere , quod verè adsit corpus Christi in cæna. Sed eo ipso non faciunt alium nouum textum. Verum si probari poterit, verba textus : Hoc est corpus meum, non admittere hanc loquutionem, in, vel cum, vel sub pane , est corpus Christi, parati sumus abijcere has phrasas, & simpliciter loqui, sicut verba sonant. Quia vero Lutherus intellexit phrasin in formula V Vitebergensi cum pane dari corpus Christi aliter ab aduersarijs explicari, deinceps non sententiam solum, sed etiam formam verborum Christi in Smalcaldicis articulis, & postrema confessione retinuit, panis & vinum cænæ sunt verum corpus & sanguis Christi. Et panis Domini est verum & naturale ipsius corpus. Cum igitur S. patres , & nos exemplo eorum utimur his formis in, cum , sub pane , non mutamus , aut in contrarium sensum rapimus verba Christi : Hoc est corpus meum : sed potius illa declaramus & illustramus , vt tam pontificiorum quam Calvinistarum errores, de transubstantiatione, vel de longissima distantia corporis à pane, & sanguinis à vino, reiectos abijciamus.

Aut



## XII.

Aut proprie, aut figuratè corpus dicitur de pane.

Non autem proprie, quia sic de pane possent dici proprie & verè, quæcunq; dicuntur de corpore, quod est absurdissimum.

Ergò figuratè.

Respondeo, Est fallacia secundum quid, seu proceditur à non distributo ad distributum. Antecedens enim non est completè vniuersale, quia omittitur inusitata prædicatio, cui cognata est Sacramentalis. Etsi igitur corpus de pane prædicatur non proprie, non tamen statim inferri potest, quoniam figuratè de eo prædicetur. Sunt enim plures species prædicationum, quam propria, & figurata. Sicut autem non est propria, quia panis non est simpliciter, & proprie seu essentia sua corpus Christi, ideoq; etiam non possunt omnia corpori competentia panis propriè tribui, ita etiam non est figurata, quia tam Subiectum, quam prædicatum propriam suam significationem retinet, & propter ea copulam etiam in natiua sua significatione accipi necesse est. Dicitur autem inusitata propter modum coniunctionis rerum vnitarum, qui perinde Inusitatus est, atq; vnio duarum in Christo naturarum. Nam qualis est vnio, talis etiam est prædicatio, Vnio est inusitata, quæ non habet exempla similia in tota rerum vniuersitate, Ergò etiam est inusitata prædicatio. Etsi vero non est in specie idem modus vnionis & prædicationis duarum in Christo naturarum, & copulationis panis ac corporis Christi in sacracæna, tamen in genere vtrobiq; modus vnionis inusitatus est, & eam ob causam in sacra cæna etiam prædicatio corporis de pane inusitata appellatur. Aliqui tamen nominant sacramentalem, non quod panis sit sacramentum, hoc est symbolum, aut typus absentis corporis Christi, sed ob sa-





cramentalem, hoc est, mysticam & arcanam rei terrenæ & cælestis vnionem, quæ ista loquendi forma, panis est corpus Christi, enunciatur. Idem Calvinus nolens volens fateri cogitur in scripto contra D. Heshusium. Res cælestis suo elemento tribuitur propter indiuiduam connexionem, & res cælestis verè sub eo elemento exhibetur. Quod autem Lutherus alicubi Synecdochen nominat propter pontificios, certum est eum non *Ἰερευκῶς*, vt Rhetores, sed Erymologicè seu grammaticè vsurpare vocem Synecdoches, pro comprehensione, seu complexu duarum rerum, quæ simul adesse & exhiberi intelliguntur, & simul in enuntiatione suo modo vnitæ deuinciuntur.

Et hoc sensu concedi possunt similes aliquo modo loquutiones esse, Columba est Spiritus sanctus, & panis est corpus Christi. Nam columba non fuit signum longè absentis, sed medium præsentissimi Spiritus sancti, qui specie columbæ descendit, & se statuit supra Christum: ita panis est signum non absentis corporis, sed realiter præsentis, quod specie panis, tanquam medio seu instrumento diuinitus ad hoc ordinato exhibetur.

### XIII.

Panis qui frangitur in cæna, est corpus Christi, pro nobis in cruce fractum.

Ergo sicut panis est corpus, sic fractio panis, est fractio corporis, Et contra, sicut fractio panis, est fractio corporis, sic panis est corpus, & sic manducatio panis, est manducatio corporis.

Eodem modo vinum & effusio, & potatio vini est sanguis, & effusio, & potatio sanguinis.

At fractio panis & effusio vini est sacramentum, symbolum, memoriale fractionis corporis, & fusionis sanguinis factæ in cruce.

Ergò



Ergò & panis & vinum sunt symbolum & sacramen-  
tum corporis & sanguinis.

Primum respondeo ad maiorem, quod Paulus cor-  
pori fractionem, & poculo seu porioni effusionem, quæ  
proprie tantum pani, & sanguini conueniunt, ideo procul  
dubio tribuat, vt ista prædicatorum permutatione decla-  
ret, non aliud corpus & sanguinem in cæna frangi seu di-  
stribui, quam oblata fuerunt in ara crucis, & arctissimam  
esse panis & corporis, vini, & sanguinis vnionem in actio-  
ne cænæ, propter quam proprium vnus alteri tribuatur.  
Quia enim panis vnione mystica est corpus Christi, ideo  
etiam fractio seu distributio panis, est fractio seu distributio  
corporis Christi.

Et contra sicut fractio seu distributio panis, est fractio  
seu distributio corporis Christi: Sic panis propter mysti-  
cam vnionem verè est corpus Christi, & sic manducatio  
panis mystici, est manducatio corporis Christi. Idem iu-  
diciu[m] etiam est de vino. Deinde respondeo ad mino-  
rem, in ea committi fallaciam diuisionis. Nam non solius  
panis fractio, nec solius vini effusio, est signum memoria-  
le mortis Christi in cruce, cuius beneficia nobis applicat  
& obfignat, sed tota actio cum rebus in cæna distribu-  
endis & sumendis, terrenis ac cælestibus, seu pane & corpo-  
re, vino & sanguine Christi, idq; sic probatur:

Sacramentum est signum rei sacræ.

Tota actio vna cum rebus sumendis, pane & corpore,  
vino & sanguine Christi est sacramentum.

Igitur illa omnia coniuncta non diuisa sunt signum  
mortis **C H R I S T I** in cruce, & signaculum beneficiorum  
ipsius.

2. Quod alicuius rei Mnemosynon est, illud est illius  
signum memoriale.

Sed



Sed Christus dicit de benedicto, distributo, & sumpto pane, quem pronunciat esse corpus suum, & de portione, quam ait esse sanguinem suum novi testamenti, Hoc facite in mei memoriam. Hoc, autem, totam actionem cœnæ denotat cum omnibus substantialibus suis partibus. Igitur tota actio cum rebus sumendis, pane & corpore, vino & sanguine Christi, est signum memoriale passionis Christi, & obsignaculum beneficiorum Christi, in cruce partorum. Nequaquam igitur nudo pane & vino, sed cum his copulato corpore & sanguine Christi in actione cœnæ Domini, mors Christi in cruce, eiusq; beneficia nobis morte parta representantur, applicantur, & obsignantur. Licet autem quidam ex Patribus scripserint panem esse signum corporis Christi, non tamen propterea senserunt corpus à pane longius abesse, quàm summi cæli distant à terra. Nam vox signi tripliciter accipitur, primum idem denotat quod typum significantem seu representantem rem aliquam absentem. Hæc significatio, respectu corporis Christi, prorsus aliena est à sacramentis novi testamenti. Secundo, idem significat quod Signaculum, cuius officium est non significare, sed obsignare. Et in hac  $\sigma\phi\epsilon\alpha\gamma\iota\delta$  siue signaculi relatione ad rem obsignatam, panis & corpus Christi non relatiuè opponuntur, ut corpus de pane, tanquam res obsignata prædicetur de signaculo: sed utrumq; simul sub communem rationem  $\sigma\phi\epsilon\alpha\gamma\iota\delta$  vnitur, atq; sic panis cœnæ & Christi corpus simul iuncta, referuntur ad aliud, nempe ad memoriam mortis Christi, & ad applicanda & obsignanda beneficia morte Christi parta. Tertio, Signum quandoq; accipitur pro symbolo, quo quippiam aliud præbetur aut exhibetur. Ita panis & vinum in cœna Domini sunt symbola exhibitionis corporis & sanguinis Christi, Et corpus ac sanguis Christi sunt res signatæ, id est, res symbolis illis mediantibus exhibitæ. Sicut



## XIV.

Sicut poculum Hoc, est nouum testamentum in sanguine Christi, sic est sanguis noui testamenti.

Sed est nouum testamentum sacramentaliter, id est, Symbolum noui testamenti, Quia nouum testamentum seu foedus est reconciliatio cum Deo, per fufum pro nobis Christi sanguinem. Huius non substantia, sed signum potest esse ceremonia.

Ergò etiam sanguis Christi dicitur, quia illius est symbolum. Est autem panis corpus, sicut vinum est sanguis.

Respondeo primum ad Maiorem, vtriusq; propositionis vna eademq; est sententia, licet verba à Luca & Paulo sint nonnihil transposita. Nam Matthæus & Marcus affirmant dari sanguinem Christi, qui est proprius noui testamenti, Lucas vero & Paulus hunc sanguinem in calice dari, & verè ibi adesse testantur, & sic sanciri ac confirmari nobiscum nouum testamentum, seu foedus gratiæ cum Deo per Christi sanguinem conciliatum.

Deinde cum Matthæus primæ institutioni cænæ Dominicæ præsens ipse interfuerit, & singula verba à Christo dicta coram audiuerit, & consignarit, eumq; Marcus imitetur, ac vterq; ponat de altera parte institutionis, expressa illa verba Christi dicentis: Hic est sanguis meus noui testamenti: necessariò sequitur, Lucæ & Pauli, secundum Matthæi & Marci verba, & non è contra, declaranda & intelligenda esse. Ideoq; maior inuertenda, & sic formanda erit:

Sicut vinum est sanguis noui testamenti, Ita poculum hoc, est nouum testamentum in sanguine Christi.

Est autem vinum, verus, non typicus sanguis Christi, quia nouum testamentum sancitum & confirmatum est verò ac naturali, non typico sanguine Christi: Ita poculum est nouum testamentum, propter eundem sanguinem

G

verum.



verum, seu naturalem Christi, qui est in poculo, & in eo bibendus exhibetur. Ad minorem respondeo per infirmationem. Nequaquam enim poculum est nouum testamentum sacramentaliter, hoc est, non est Symbolum, sed potius pars noui testamenti. Expressè enim adduntur verba: In sanguine meo. Sanguis autem Christi non est signum noui testamenti, sed res ipsa, quo nouum testamentum sancitur & confirmatur. Ideoq; necesse est ibi in isto foedere perinde realiter, & externo etiam modo sanguinem Christi adhiberi, sicut olim in foederibus veteris testamenti sanguis typicus adhibitus fuit, Exodi 12. Ebr. 9. Ad probationem minoris quod attinet, respondetur; non tantum reconciliationem cum D E O, per fufum pro nobis Christi sanguinem, testamentum seu foedus nouum esse, sed etiam mortem Christi, eiusq; memoriale cœnam Domini, foedus seu testamentum nominari.

Nam vox testamenti aliàs generaliter, aliàs specialiter accipitur. In genere accipitur pro ipsis actionibus, seu pactationibus, & stipulationibus, inter D E V M & credentes, mutuis, & earundem effectis, Specialiter verò pro solo effectu seu testamentario legato. In sacra cœna accipitur generaliter pro vtroq;. Sicut igitur mors Christi cum suis annexis beneficijs, est vna pars noui testamenti, qua sanguinem suum obtulit æterno patri, pro remissione peccatorum nobis impetranda: Ita cœna Domini est altera pars eiusdem testamenti seu foederis, in qua Christus sanguinem patri in cruce prius oblatum, discipulis etiam libandum offert, & sic cum eis nouum illud foedus sancit, & confirmat. Huc dictum Bugeri super Matthæum: Sensus verborum Domini, vt ea Lucas & Paulus exprefferunt, est: Accipite & percipite hoc poculo foedus nouum gratiæ, confir-



confirmatum vobis, Hoc ipso sanguine meo, *quem simul  
à me Hic accipite & bibite*. Item verba, Hic est sanguis  
meus, quid aliud volunt, quam accipite hoc poculo, &  
bibite sanguinem meum, quo vobis confirmatur atq; si-  
mul impartitur foedus nouum meum. Ex his liquet, in-  
quit, credendum & confitendum esse veram in sacra cæna  
præsentiam & exhibitionem corporis & sanguinis Christi,  
id est, Domini ipsius, simulq; noui testamenti, id est, fœ-  
deris gratiæ, & remissionis peccatorum, quæ & ijs verbis  
exprimitur, quod traditur pro vobis, qui effunditur pro  
multis in remissionem peccatorum. Hæ res sunt sacramen-  
ti huius, quarum gratia tota hæc actio instituta est. Rectè  
igitur, & ex ipsis verbis Domini dicitur: Cum his re-  
bus, quæ videntur pane, & vino, donari nobis hîc,  
præberi & accipi corpus & sanguinem Domini, atq; re-  
missionem peccatorum, vbi modo hæc institutio sacra-  
menti ritè, vt à Domino tradita est, celebratur. Hacten-  
us Bucerus.

#### XV.

Communio corporis & sanguinis Christi, non est  
esus & potio oralis, sed talis communio, qua sancti omnes  
sunt vnum corpus, propter vnionem cum Christo capite  
suo; quæ cum dæmoniorum communionem non consistit,  
quæ similis est communioni altaris in sacrificijs veteris  
testamenti, quæ semper durat extra vsum cænæ, & custo-  
diri debet cauendo communionem dæmonioium 1. Co-  
rinth. 10.

Cæna Domini autem est communio corporis & san-  
guinis Christi.

Ergò non est manducatio oralis corporis Christi,  
sed incorporatio in ipsum, quæ fit fide, per ipsius spiri-  
tum,

G 2

Respondeo



Respondeo sunt 4. termini. In maiori enim aliter accipitur communio, quam in minore. Nam vox κοινωνία interdum significat distributionem & sumptionem, ut in dicto Pauli 1. Corinth. 10. Panis quem frangimus est κοινωνία, hoc est, communicatio, seu distributio & sumptio corporis Christi. Ideo Paulus versu sequenti ipse verbum κοινωνεῖν, exponit vicino verbo μετέχειν, quod est participem fieri, cum inquit: οἱ πάντες ἐκ ἑνὸς ἄρτου μετέχομεν. Et Basiliius per μετέληψιν, ac Chrysostomus per μετοχὴν vocem κοινωνίας interpretantur. Quos secutus Dominus Philippus, in libello visitationis Saxonicae, verba Pauli sic conuertit, panis est κοινωνία, id est, communicatum & participatum corpus Christi. Alias verò societatem significat, ut in maiori propositione. Hæc ambiguitas efficit maiorem particularem, ut intelligatur de sola communionem spirituali, seu societate fidelium inter se, & cum Christo mutua, non autem de sacramentali distributione & participatione corporis & sanguinis Christi. Concedimus autem spiritualem communionem non consistere cum demoniorum communionem, quia impossibile est duobus contrarijs sodalitijs coniungi quemquam iure ac salutariter posse. Et tamen de facto Corinthij edebant & bibebant in cæna à Christo instituta, de pane, & ex poculo benedicto, & de Idolothytis, ac ex poculo demoniorum, in epulis gentium institutis. Et hoc externo usu Idolothytorum seipsos societate veræ Ecclesiæ & Christi priuarunt, & spiritualiter se Dæmonijs consociarunt. Quapropter hortatur eos Apostolus, ne Idolothytis vescendis seipsos ab Ecclesia, & corpore Christi mystico seiungant aut auellant, sed potius operam dent, ut fide semper coniuncti cum Christo, & omnibus fidelibus maneat. Deinde respondeo ad minorem, cænam Domini non tantum esse communionem  
cum



cum Christo spiritualem, qua fideles cum eo in vnam eandemque massam coalescunt, sed etiam esse externam seu sacramentalem communicationem corporis & sanguinis Christi, quæ fit mediantibus visibilibus rebus pane & vino, de qua dicitur, Accipite, comedite, Hoc est corpus meum. Hæc sacramentalis communicatio tam impijs, quam pijs, communis est. Ideo frustra negatur non esse oralem corporis Christi manducationem. Nam verba accipite & comedite, non possunt nisi de externa & corporali manducatione intelligi. Huic argumento vicinum est illud:

Qualis est communio, seu societas fidelium cum CHRISTO, talis etiam est societas panis cum corpore Christi, Quoniam inquit Paulus, vnus panis, vnum corpus multi sumus, omnes enim de vno pane participamus.

Sed communio fidelium inter se, & cum Christo, tantum est spiritualis, quæ fit sola fide.

Ergo etiam panis & corporis communio tantum est spiritualis, nec intelligit Apostolus nomine communionis esum oralem, præsertim communem pijs & impijs.

Respondeo, sicut effectus non tollit causam suam: Ita communio etiam spiritualis cum Christo non tollit sacramentalem, quæ est causa instrumentalis seu medium, per quod nobiscum copulatur corpus Christi in sacra cæna. Non ergo iudicium de essentia cænae fieri oportet ex effectu, sed ex institutione & ordinatione Christi. Fatemur sane illam communionem, qua inserimur in massam humanæ Christi naturæ, non esse oralem esum, sed Paulus distinctè loquitur non tantum de hac spirituali, sed etiam de externa illa, qua exhibetur & sumitur



ore ac fide corpus & sanguis Christi. Duplici enim argu-  
mento Corinthios ab idolothytis vescendis dehortatur,  
primum est sumptum à præstantia cibi & potus cænæ do-  
minicæ, in qua fracto pane & vino, frangitur seu distri-  
buitur corpus & sanguis Christi, quorum sumptio de iure  
non consistit cum Idolothytis vescendis. Secundum à fi-  
ne, qui est societas cum Christo. Ideo enim corpus  
Christi cum pane distribuitur, ut simus inter nos, & cum  
Christo, vnum corpus.

Hæc societas etiam Idolothytorum esum nullo modo  
admittit. Quare cum Paulus loquatur de vtraq; κοινωνία,  
spirituali, & sacramentali, malè statuitur vtriusq; κοινωνία  
eadem ratio esse. Ut enim sunt diuersæ; ita etiam diuersis  
medijs perficiuntur; externa, ore, & fide, aut tantum solo  
ore; spiritualis verò, sola fide peragitur.

XVI.

Communio corporis Christi in baptismo non est nisi  
spiritualis.

Sed eadem est communio in baptismo, & in cæna 1.  
Corin. 12. Etenim per vnum Spiritum nos omnes in vnum  
corpus baptizati sumus, & omnes vna portione potati su-  
mus in vnum Spiritum.

Ergò & in cæna nulla est communio ipsius corporis,  
nisi spiritualis.

Respondeo ad minorem cum distinctione, quod ea-  
dem sit communio in baptismo, & in cæna, quod ad spiri-  
tualem solum κοινωνίαν Christi. Nam vtriusq; effectus est ut  
Christo coniuncti simus. Et baptismo quidem tribuit Pau-  
lus hunc effectum, quod nos inserat corpori Christi, ut  
ille sit caput nostrum, & nos membra illius. Sacræ cænæ  
autem adscribit, quod omnes fideles imbuat eodem Spi-  
ritu Christi, qui prius in baptismo insiti fuerunt Christo,  
&



& membra corporis illius spiritualia effecti. Sed hinc non sequitur, Vtriusq; communio est spiritualis. Ergo etiam est vtriusq; eadem communicatio externa. Conueniunt enim sacramenta, Baptismus, & cæna Domini tantum causa efficiente, & finali, sed differunt materia & forma, de quibus iudicium petendum est ex verbis cuiuslibet institutionis,

### XVII.

Christus non comedit corpus suum oraliter.

Apparet autem ex Euangelistis ipsum sumpsisse cænam cum discipulis, cum dicit: Non bibam posthac de fructu vitis, donec bibam nouum in regno patris mei. Et quod Christus sumsit, id sumpserunt etiam discipuli.

Ergo nec discipuli sumpserunt corpus ipsius oraliter.

Nego Minorem, nam contrarium apparet ex Euangelistis, scilicet quod post esum agni paschalis confederit Christus cum discipulis in cænam communem seu vulgarem, in qua cum discipulis edit, bibit, & pedes eorum lauit, quam tandem gratijs actis, & calice discipulis distributo, conclusit dicens: Non bibam de fructu vitis, donec regnum Dei veniat. Illa cæna iam finita, seu *μετὰ τὸ δεῖπνῆσαι*, vt Lucas & Paulus scribunt, denuò panem & calicem, gratijs actis, accepit, & sacram cænam instituit. Malè igitur & imprudenter vltima cæna, quam Christus postremo haustu vini conclusit, cum ea, quæ post eam instituta est, in qua corpus & sanguinem suum discipulis distribuit, confunduntur.

### XVIII.

Quicquid est & geritur in sacramento, vel est signum, vel res significata,

At manducatio corporalis non est signum, quia est inuisibilis, neq; alicuius rei significatiua est, neq; est res signata. Quia sumptio panis significat spiritualem

com-



communionem Christi, promissam in Euangelio, cuius promissionis visibile signum est cæna. Et volunt eam statuentes communem esse pijs & impijs. Res autem signatas in sacramentis percipiunt soli credentes. Et non corpus Christi, sed panis editur oraliter, non ad esum corporis oralem, sed spiritualem, ad recordationem & annunciationem mortis Domini I. Cor. II.

Ergò non fit oralis manducatio carnis CHRISTI in cæna.

Respondeo primum ad maiorem, eam quidem concedi, si rectè distinguantur signum & signatum in sacra cæna, & signum constituatur tota actio cum vtraq; re terrena & cælesti percipienda, sicut probatum est argumento 13. Signatum vero sit memoria mortis Christi, cuius beneficia actione sacrae cænae applicantur, & communicatione panis & corporis, vini & sanguinis Christi obsignantur. Quapropter nego minorem, quia manducatio corporalis est signum memoriale mortis Christi, & respectu credentium obsignatio & applicatio beneficiorum Christi. Ratio addita minori similiter inficiatione refutatur, Nam manducatio corporis non est inuisibilis, quia cum, seu in pane corpus Christi manducatur, qui oculis videtur, & sensibus percipitur, & propter arctissimam unionem corpori rectè tribuitur, quod proprie pani tantum competit.

Etsi igitur corporis præsentia in pane est inuisibilis, manducatio tamen est visibilis propter panem visibilem, in & cum ac sub quo distribuitur & percipitur corpus Christi. Deinde quod eadem manducatio corporalis non sit res signata, concedo, nego autem quod additur in subiecta ratione, sumptionem solius panis significare spiritualem communionem Christi, promissam in Euangelio, quia ut supra argumento 13. probatum est, vtriusq; rei, panis & corporis,



corporis, vini & sanguinis sumptio, est signum & signaculum spiritualis communionis cum Christo, & medium, quod nos deducit ad spiritualem cum Christo communionem. Manducatio igitur sacramentalis præcedit, spiritualis sequitur. Et hæc externa vtriusq; rei, terrenæ & cælestis sumptio, iuxta Paulum, tam impijs quam pijs communis est. Solos vero credentes tantum res signatas, hoc est, beneficia morte Christi parta, percipere, largimur. Sed respectu panis corpus, & vini sanguinem, res signatas esse pernegamus, vt sæpius repetitum fuit. Ex hac ad maiorem & minorem responsione patet non rectè inferri.

Ergò non fit oralis manducatio carnis Christi in cæna.

### XIX.

Sacramenta sunt verba visibilia, & idem significant oculis, quod promissio gratiæ nunciat auribus.

At promissio gratiæ, siue Euangelion tantùm promittit spiritualem communionem corporis.

Ergò etiam ritus cænæ, nullam aliam significat, ac proinde nulla alia fit. Nulla enim fit inuisibilis communio, nisi quæ significatur per visibilem sumptionem.

Respondeo, concedo argumentum dextrè intellectum de usu, seu fine sacramenti cænæ Dominicæ, quod ille communis sit ei, cum promissionibus gratiæ. Sed in conclusione plus subsumitur, quod in ritu cænæ nulla alia fiat, quam spiritualis communio. Nam præter hanc, etiam fit communicatio externa, quæ sacramentalis appellatur. Huc dictum Cyrilli, libro 10. cap. 13. in Iohannem: An fortassis putat ignotam nobis mysticæ benedictionis virtutem esse, quæ cum in nobis fiat, nonne corporaliter quoq; facit communicatione carnis Christi, Christum in nobis habitare. Et paulo ante: Non negamus recta nos fide, charitateq; sincera Christo spiritualiter coniungi, sed nulla

H

nobis





nobis conjunctionis rationem secundum carnem cum illo esse, id profecto pernegamus, idque à diuinis scripturis omnibus alienum dicimus.

Vicinum huic argumentum infra ordine 31. proponetur, ubi ex solutione apparebit, in hoc etiam argumento non prorsus eandem rationem esse promissionum Euangelij, & promissionis in cæna Domini, quod pro vobis datur, & qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum. Hæc enim est vestita externo signaculo, quod ore percipitur. Illa verò est nuda, quæ nullum habet signaculum adiunctum.

XX.

Qui habitat in cordibus per fidem, non sumitur ore corporis.

Christus habitat in cordibus nostris per fidem Ephe. 3.  
Ergò non editur ore, neque sine fide.

Respondeo in maiore esse fallaciam causæ, quia spiritualis communicatio Christi, fide habitantis in cordibus, non tollit sacramentalem corporis illius sumptionem, quæ fit ore. Vtraque enim expressis sacrae scripturae testimonijs fundata est. Sacramentalis præcedit in cæna: spiritualis quæ fit in cæna, sequitur, & ab illa dependet, vt in prima parte huius tractatus declaratum est. Deinde diuersa sunt sumptio corporis Christi sacramentalis, mandata his verbis, Accipite, comedite, Hoc est corpus meum, & Inhabitatio Christi per fidem, Inhabitatio totius Christi secundum vtramque naturam, diuinam & humanam, fit sola fide. Sed sumptio in sacra cæna fit ore simul & fide à dignè accedentibus. Et illa etiam extra cænam fieri potest, Hæc autem fit in sola cæna Domini. Distinguendum ergò est inter sacramentalem sumptionem & spirituales, cuius effectus est inhabitatio totius Christi, non solum, quo ad spiritum illius, sed etiam.



etiam, quod ad substantiam diuinam, & humanam, Et diligenter obseruetur minor huius argumenti. Expresse enim reijcit opinionem falsam Calvinistarum, de absentia corporis Christi ab his terris longiore, quam summi cæli ab eis distent, & affirmat totum Christum Deum & hominem, per cuius corpus & sanguinem redempti sumus, in cordibus nostris habitare, tanquam in proprijs domicilijs seu familiarijs suis fide, seu non visibili, & rationi consentaneo, sed spirituali ac incomprehensibili modo. Hæc inhabitatio sacramentali sumptione significatur, alitur, & confirmatur.

### XXI.

Christus in omnibus sanctis qui accesserunt, & qui non accesserunt ad cænam habitat & præsens est eodem modo.

At non est corporaliter in ijs, qui non accesserunt ad cænam, quia hi nunquam eum corporaliter ederunt.

Ergo nec in ijs est corporaliter, qui accedunt.

Respondeo, sunt 4. termini, Quia maior tantum vera est de præsentia & habitatione spirituali, non autem de externa, seu corporali, seu sacramentali coniunctione. Etsi enim Christus in omnibus sanctis habitat, & præsens est, non tamen eodem modo cum omnibus copulatur. Aliquibus enim tantum spirituali modo per fidem, Aliquibus verò externo, seu sacramentali, seu corporali pariter, & spirituali modo coniungitur. Deinde ad minorem. Etsi qui nunquam accesserunt ad cænam, corpus Christi ore percipere non potuerunt, nihilominus tamen in eis si credant, totus Christus, Deus & homo, fide habitat. Quia inhabitatio Christi non tantum dependet ab externa oris manducatione, cum fide coniuncta, sed etiam à solius fidei usu, si sacramentalis illa manducatio fieri non possit. Etsi igitur totus Christus, quo ad vtramq; naturam habitat in

H a

omnibus



omnibus sanctis fide, seu spiritali modo, non tamen externa manducatione corpus Christi percipiunt ij, qui ad sacram cœnam nunquam accesserunt.

Sed inde non sequitur, hi non externa manducatione cum fide coniuncta, facti sunt domicilia Christi, in quibus habitat.

Ergò nec illi, qui accedunt ad cœnam, externa manducatione cum fide coniuncta, fiunt templa & domicilia Christi in quibus ille habitat. Nam vt ante dictum, Inhabitatio partim dependet à sola fide, partim à corporali seu externa manducatione in cœna, quæ coniunctam habet veram fidem.

## XXII.

Quomodo Christus in nobis manet in æternum, sic à nobis manducatur, & se nobis communicat, vel qualis in nobis est Christi mansio, talis etiam est manducatio.

Manet autem in nobis substantia corporis sui, non existente intra corpora nostra, sed nobiscum per Spiritum ipsius in nobis habitantem vnita.

Ergò etiam sic à nobis manducatur & bibitur.

Respondeo ad maiorem: Iudicium de ritu seu forma exhibitionis corporis & sanguinis Christi in cœna, non sumendum est ex effectu cœnæ, sed ex verbis institutionis Christi. Illa vero non solum spirituales, sed etiam externam manducationem faciunt. Deinde concedo maiorem de inhabitatione Christi in nobis gratiosa, seu salutari, quod ea nobis cum fide contingat, non externa manducatione, quæ fit absq; fide vera. Non semper autem sola fide, sed sapissimè etiam externa manducatione corporis Christi in cœna, cum vera fide coniuncta, nobiscum Christus se coniungit, & in cordibus nostris habitat, vt in propria sede seu domicilio suo. Impijs vero sine fide corpus  
Christi



Christi externè in cæna comedentibus præsens adest, & ad eos venit, vt ipsos puniat, & destruat, Esa. 66. Ecce Dominus in igne veniet, & tanquam turbo quadrigæ eius, vt reddat in ira furorem suum, & increpationem suam in flamma ignis. Apoc. 3. Si non vigilaueris: veniam ad te tanquam fur, neq; intelliges, qua hora veniam ad te.

Inhabitatio igitur Christi in sanctis per fidem non tollit sacramentalem sumptionem corporis Christi in cæna, ab impijs indignè, sine fide accepti, ad iudicium, & condemnationem suam, de qua Paulus 1. Corinth. 11. Qui edit & bibit indigne, damnationem sibi ipsi edit & bibit, non discernens corpus Domini; Et Augustinus Sermone 11. Boni & mali simul manducant & bibunt corpus & sanguinem Domini, sed cum magna distinctione. Nam in vno eodemq; conuiuio, isti misericordiam manducant, illi iudicium. Et de verbis Domini, Multi ficto corde carnem illam manducant, & sanguinem bibunt. Et contra Fulgentium: Iudas proditor bonum corpus Christi percepit, sed quia bono benè non est vsus, malus malè vtendo deletus est.

Tertiò nego minorem, non ipsam substantiam corporis Christi habitare in pijs. Nam id pugnat cum testimonijs Scripturæ, Ioh. 14. Si quis diligit me &c. & ego, & pater meus veniemus ad eum. Non dicit, Spiritus patris mei, & meus, sed essentia patris mei, & mea. Et Ephes. 3. Christus habitat in cordibus nostris &c. scilicet secundum vtramq; naturam non Spiritum Christi. Inuerto igitur argumentum: Christus manet in fidelibus in æternum, non tantum Spiritu, sed etiam substantia corporis sui.

Ergò substantia corporis Christi manducatur à fidelibus in cæna, tam ore, quam fide.



### XXIII.

Extra usum institutum à Deo, nihil habet rationem Sacramenti.

Sine fide nullus est usus institutus & legitimus cænæ. Ergò sine fide non est sacramentum.

Respondeo ad maiorem, si usus accipiatur pro actione à Christo mandata & præscripta, concedo eam veram esse, sed si accipiatur pro usu fidei, seu fructu & utilitate cænæ, nego maiorem. Nam teste Augustino, Non interest cum de sacramenti integritate tractatur & sanctitate, quid credat, aut quali fide imbutus sit, qui accipit sacramentum. Interest quidem plurimum, sed ad salutis viam, nihil autem interest ad sacramenti quæstionem. Ad minorem respondeo, Fidem non esse de substantia cænæ Dominicæ, tamen absq; ea non impetrantur effectus cænæ. Hinc verò non sequitur: Sine fide non impetrantur effectus cænæ, Ergò sine fide non est sacra cæna. Aliud enim sunt effectus, aliud substantia cænæ. Hæc est integra absq; fide, siue illa adsit, siue absit. Effectus verò non sine fide percipiuntur.

### XXIIII.

Quibus sacramenta non sunt instituta à Deo, illis nihil promittunt rerum significatarum.

Impijs non est cæna instituta.

Ergò nihil eis promittit, ac proinde nihil accipiunt nisi externa Symbola.

Respondeo, concedo maiorem de fructu cænæ Dominicæ, non autem de eius substantia. Sicut enim corpus Christi traditum est, non tantum pro fidelibus in mortem, sed pro totius mundi peccatis: 1. Iohan. 2. Ipse est propitiatio non tantum pro nostris sed totius mundi peccatis. Iohan.



Iohan. 6. Caro mea est quam dabo pro mundi vita. 1. Corin-  
th. 8. Infirmus frater, pro quo Christus mortuus est, per-  
it propter tuam scientiam. Ita in sacra cæna exhibetur et-  
iam tam infidelibus, quam fidelibus, sed effectus illius,  
non nisi solis credentibus contingunt. Ita Iudas proditor  
etiam accepit bonum corpus Christi. Et Paulus expressè  
scribit, Indignè comedentes reos fieri corporis & sangui-  
nis Christi, indigno eorum esu.

XXV.

Qui nihil accipiunt eorum, quæ significantur verbis  
Euangelij, nihil etiam accipiunt eorum quæ significan-  
tur symbolis sacramentorum. Idem enim ob utriq; signific-  
tur, & promittitur.

Impij autem nihil accipiunt significatum verbis Euan-  
gelij.

Ergò neq; aliud significatum sacramentis siue signis,  
Euangelio annexis.

Concedo argumentum de fructibus utriusq; Euan-  
gelij & cænæ Dominicæ, quod ijs impij non potiantur. Sed  
alia est ratio cænæ Dominicæ, quo ad formam seu modum  
exhibitionis, verbum Euangelij tantum spiritualiter, seu  
sola fide Christum apprehendendum nobis offert. Cæna Do-  
mini idem facit, sed non tantum spiritualiter, verum etiam  
corporaliter, seu ut ipsum corpus Christi, cum pane, ore  
manducemus. Deinde distinguo inter signa & signifi-  
cata. Argumentum verum est de solis significatis, Non  
autem de signis Euangelio annexis. Signum autem est,  
non tantum panis & vinum, sed cum his copulatum cor-  
pus & sanguis Christi. Hæc accipiuntur ore. Significatum  
verò, hoc est, beneficia mortis Christi, sola fide percipi-  
untur.

Paulus



Paulus non dicit corpus Domini, sed panem & vinum indignè sumendo, iudicium edi & bibi.

Iudicium autem edere, non est edere Christum, qui est nobis factus à Deo iusticia. Item, edentes panem indignè, ait, reos fieri corporis Christi, eo quod non discernunt, honore debito non afficiunt corpus Christi. Fieri autem reum corporis, & corpus Christi non discernere, non est corpus ore comedere, teste Apostolo Ebr. 10.

Ergò non corpus Christi, sed panis editur indignè, & ad iudicium, quia profanatio Symboli redundat in contumeliam rei signatæ.

Primum respondeo ad maiorem. Paulus non simpliciter nominat panem, sed addit pronomen *H V N C*, quo discernit panem cænæ Dominicæ ab omnibus alijs panibus communibus, & respicit ad verba Christi: Accipite, comedite, Hoc est corpus meum, quasi dicat: Qui hunc panem, de quo Christus in cæna dicit, quod sit corpus suum, indignè manducat, reus erit corporis & sanguinis Domini. Si vero solum panem, & non corpus Domini, indignè comederent Impij, solius panis, & non etiam corporis Christi rei condemnarentur.

Secundò ad minorem, etsi impij iudicium comedunt in cæna, non tamen sequitur, quod propterea non comedant corpus Christi.

Illud enim dupliciter comeditur, 1. corporaliter simul & spiritualiter ab omnibus pijs ad vitam & salutem. 2. corporaliter tantum, absq; fide, ad iudicium seu condemnationem. Concedo igitur, quod qui iudicium edit, non comedat corpus Christi ad vitam & salutem, seu non comedat spiritualiter. Sed quod corporaliter etiam non comedat, non sequitur.

Tertiò



Tertiò in citato Pauli dicto est ignoratio Elenchi. Nam dictum illud adeò non oppugnat præsentiam corporis Christi, eiusq; externam sumptionem, vt potius quàm maximè eam stabiliat. Nam non discernere, significat non distinguere panem cænæ Dominicæ ab alijs vulgaribus cænis, nec veram in pane corporis Christi præsentiam agnoscere, seu non considerare doni amplitudinem, nec perpendere magnitudinem eorum, quæ in cæna Dominica præsentia & proposita sunt, vt D. Chrysostronus annotat.

Quod autem infert, non idem esse, reum fieri corporis Christi, seu Christi corpus non discernere, & corpus Christi ore comedere. Respondetur Argumentum in syllogisticam formam reductum tale esse.

Quicumq; fiunt rei corporis Christi, non fiunt participes corporis Christi.

Impij fiunt rei corporis Christi.

Ergo non fiunt participes corporis Christi.

Maior tantùm est vera particulariter de participatione spirituali. Nam ea tantùm liberat credentes à reatu seu pœnis Dei. Sed impii qui solum corporaliter, absq; fide comedunt corpus Christi, rei fiunt corporis non dignè sumpti. Potest igitur inuerti argumentum.

Qui tantùm corporaliter, & non simul spiritualiter comedunt corpus Christi, fiunt rei corporis Christi.

Impij tantùm corporaliter, & non spiritualiter comedunt corpus Christi. Ergo rei fiunt corporis Christi. Nam reum fieri corporis Christi, consequens seu effectus est comestionis corporis Christi, quæ fit ore tantùm absq; vera fide. Vt D. Augustinus etiam lib. 5. contra Donatistas cap. 8. testatur: Qui indignè accipit Sacramentum, non efficit, vt quia ipse malus est, malum sit, aut quia non ad salu-

I

tem



tem accipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini nihilominus erat illis etiam, qui indignè manducabant. Conclusio-  
nem quam attexit, quod prophanatio symboli redundet in  
contumeliam rei signatæ, refutant sequentia Pauli verba.  
Qui indignè edit & bibit, iudicium sibi edit & bibit, qui-  
bus ostendit, reatum iudicij ab indignis contrahi, non re-  
spuendo, aut contumelia afficiendo symbola cænæ Do-  
minicæ, sed indignè manducando illum panem qui est cor-  
pus Christi, & contumeliam non imagini aut signo, sed ipsi  
corpori indignè manducato irrogari. Et vox ἔνοχον ἔσται τὸ  
σώματ' &c. quæ paulò ante ponitur, non propriè poenam  
seu genus supplicij describit, sed causam, crimen, vel obie-  
ctum denotat, vnde poena iudicij contrahatur, nimirum  
indignè comedentem & bibentem reum esse illius crimi-  
nis seu sceleris, quod abusus sit non tantum pane & vino  
sed etiam corpore & sanguine Christi. Est igitur corpus &  
sanguis Christi causa seu obiectum illud, cuius abusu & vio-  
latione indignè manducantes sibi reatum contrahunt.

## XXVII.

Paulus dicit 1. Corinth. 10. Nolim vos participes dæ-  
moniorum esse. Non potestis participes esse mensæ Domi-  
ni & mensæ dæmoniorum, poculum Domini bibere &  
poculum Dæmoniorum.

Impij autem sunt κοινῶν δαιμονίων dæmoniorum, participes men-  
sæ dæmoniorum & bibentes poculum dæmoniorum.

Ergo non sunt κοινῶν Christi, neq; participes mensæ &  
poculi Domini re ipsa, vtcunq; participes sint symbolorum.

Respondeo, dictum Pauli tantum de iusta & salutari,  
seu cum salute animæ coniuncta participatione loquitur:  
Vel intelligitur tantum de impossibilitate iuris, non facti.  
Nam etsi non debuerunt iure, de vtraq; mensa participare  
Corinthij, tamen de facto, vtriusq; mensæ participes facti  
fuerunt. Si ergo de salutari participatione seu impossibilitate  
iuris



te iuris conclusio intelligatur, concedo argumentum. Si verò contendat, ad iudicium etiam non posse impios bibere sanguinem Christi, qui ex poculo dæmoniorum bibunt, plus subsumitur quam fuit in præmissis. Quia quidam ex Corinthijs vtrumq; fecerunt, & ex poculo Domini, & ex poculo dæmoniorum biberunt, & se hoc facere bona conscientia absq; salutis dispendio posse putarunt. Sed Paulus negat vtrumq; iure & salutariter fieri posse, quia scilicet impossibile sit duobus contrarijs sodalitijs coniungi. Hæc verò impossibilitas iuris factum ipsum apud Corinthios non sustulit: sicut nec hodie in cæna Domini quisquam potest iure & salutariter edere corpus & bibere sanguinem Christi, & tamen cum pontificijs missas celebrare, aut cum alijs sectis commercium habere, ac impietati deditus esse. Et tamen de facto hoc ipsum sæpè fit & fieri potest, sed non iure nec ad salutem animæ.      XXIX.

Paulus confert communionem panis & corporis cum communionem altaris, hoc est, beneficiorum altaris.

Est autem illa tantum spiritualis, Ergo & hæc etiam tantum eadem est, non externa.

Respondeo ad minorem, duplex est *κοινωνία* altaris, vna externa, qua Israelitæ, cæfas & victimas dijs gentilitijs oblatas comederunt. Altera spiritualis, qua peruenerunt in societate eiusdem religionis & Ecclesiæ ac dæmonū, quibus victimæ illæ oblatae fuerunt: Ita in cæna est duplex *κοινωνία*: Externa quæ est panis & corporis, vini & sanguinis sumptio. Et spiritualis, qua fide fit confociatio cum Christo, & applicatio & obsecratio beneficiorum Christi; quæ oblatione corporis sui in cruce nobis impetrauit.      XXIX.

Paulus confert communionem panis & corporis cum communionem dæmoniorum à contrario.

At communio dæmoniorum non est oralis esus, sed spiritualis cum eis coniunctio, quæ profitentur socij sacrificiorum idololatricorum,      I 2      Ergo



Ergo nec communicatio corporis Christi cum pane est oralis esus.

Respondeo Paulum non tantum loqui de spirituali coniunctione cum diabolis: sed etiam de externa manducatione, seu de esu Idolothytorum. Nam & gentiles habuerunt externum esum Idolothytorum, per quem veluti coaluerunt in eandem societatem cum dæmonibus, sicut nos in cæna Domini per externam sumptionem corporis & sanguinis Christi cum fide coniunctam confociamur cum Christo & membris Ecclesiæ ipsius. Hæc duo externa conuiuia simul & semel celebrari ab homine verè pio posse constanter Apostolus negat. *Koinwvion* autem Diabolorum opponit non communicationi sacramentali, seu externæ, sed spirituali communioni. Diuersæ enim sunt locutiones communicatio Dæmoniorum & communicatio mensæ dæmoniorum.

Hæc intelligitur de esu seu perceptione ciborum in mensa dæmoniorum. Illa verò de societate, quæ cum dæmonijs per impia sacrificia & Idolothyta sancitur ac confirmatur. Externa igitur communicatio Idolothytorum cum communicatione corporis Christi consistere potest, non autem interna seu spiritualis. Ita etiam in cæna Domini potest quis uti vero corpore & sanguine Christi ore suo absq; fide, & esse vel Iesuita, vel Anabaptista, aut Turca etiam & Iudæus, sed spiritualis communio cum Christo & societas cum sectarijs ac palàm impijs simul consistere nequit.

X X X.

Omne sacramentum constat verbo & Elemento.

Corpus Christi ore manducatum non est elementum visibile. Et non est verbum seu promissio gratiæ seu spiritualis communio.

Ergo non est pars Sacramenti.

Respondeo



Respondeo ad maiorem eam dextrè accipiendam esse, non ita nudè, simpliciter aut generaliter, sed restringendam ad verbum institutionis, mandati & ordinationis Christi in quolibet sacramento. Non enim par ratio est omnium elementorum, sicut nec verbi, eadem ratio est in omnibus sacramentis. Nam quodlibet habet sua distincta Elementa & verbum peculiare, de quibus iudicandum est ex cuiusq; institutione. Deinde ad minorem. Corpus Christi non est quidem visibile Elementum, sed tamen illi mysticè copulatum est in distributione & sumptione iuxta Christi verba: Hoc est corpus meum. Et Irenæus scribit lib. 4. cap. 44. Panis qui est à terra, percipiens vocationem Dei, iam non communis panis est: sed Eucharistia ex duabus rebus constans terrena & cælesti. Constat ergo quidem cæna Domini elementis pane & vino, sed non puris aut simplicibus, sed ijs vnita sunt mysticè corpus & sanguis Christi. Deinde etsi corpus Christi ore manducatum non est verbum seu promissio gratiæ seu spiritualis communionis: certum tamen est manducationem corporis cum pane, verbo institutionis Christi sancitam esse. Est enim duplex institutionis verbum, vnum simpliciter affirmat, quid sit illud quod in cæna datur & accipitur, scilicet panis & corpus, vinum & sanguis Christi. Et hoc verbum pertinet ad Essentiam cænæ describendam. Alterum utilitatem seu effectum describit. Ad hoc verbum non referenda est manducatio oralis corporis Christi, sed ad illud quod essentiam cænæ describit.

### XXXI.

Tota promissio gratiæ Euangelicæ sola fide accipitur.  
Promissio de communicando nobis Christi corpore  
& sanguine in cæna Domini est promissio gratiæ.  
Ergo sola fide, non autem ore corporis accipitur.

1 3

Respondeo



Respondeo ad Maiorem, eam veram esse de sola promissione gratiæ, non autem de re gratis promissa, quæ manu sæpè aut ore, vel etiam toto corpore, & non tamen fide accipitur, & vitam æternam promittit Deus credentibus, sed res promissa, hoc est, vita æterna non tamen in hac vita fide: sed etiam in nouissimo die corpore pariter & anima credentibus possidebitur. Ita Deus promittit panem quotidianum, pacem, defensionem, & omnia vitæ necessaria, quam promissionem fide sola apprehendimus, sed res promissas panem, potum, vestes, domos, agros &c. vel manu vel ore vel toto corpore percipimus & vsurpamus. Deinde nego minorem. Nam verba Christi in cæna, Accipite, comedite, hoc est corpus meum &c. non sunt verba promissionis, sed disertæ assertionis, quibus Christus simpliciter affirmat, illud externè datum cum pane corpus suum esse & exhibitum cum vino sanguinem suum esse. Distinguendum ergo est inter verba cænæ describentia illius essentiam, & effectum. Verba ad Essentiam pertinentia: Accipite, comedite, Hoc est corpus meum, Bibite, hic est sanguis meus, non sunt promissio: sed simplex affirmatio, & quod dari dicitur externè, percipitur non fide tantum: sed etiam ore. Verba ad effectum cænæ pertinentia: Quod pro vobis datur, qui pro vobis effunditur &c. sola tantum fide apprehenduntur, Violenta igitur contorsio verborum Christi est, ex affirmatione promissionem facere, & ex externa corporis Christi manducatione, internam fidei seu gratiæ Christi fruitionem fabricare.

XXXII.

Donum spirituale non nisi Spiritu & mente seu anima accipitur.

Totus autem Christus est donum spirituale.

Ergo non nisi spiritualiter, id est, animo & corde percipitur.

Maior



Maior tantum vera est de fructu rerum spiritualium non autem de eorum substantia. Fructus seu utilitas rerum spiritualium tantum sola fide percipitur, sed substantia nisi sit spiritualis seu incorporea, potest etiam externo modo accipi, ut in cæna Domini effectus corporis Christi spiritualis, non nisi credentibus contingunt. Substantia verò corporis Christi ore sumitur, dato pane, iuxta verba accipite, comedite, Hoc est corpus meum.

Deinde est æquiocatio in voce spirituale. In maiore accipitur de dono cuius essentia est spiritualis.

In minori de dono cuius non essentia, sed effectus tantum in credentibus est spiritualis, cuius percipiendi modus, spiritualis non incommode nominari potest ad differentiam modi corporalis seu naturalis. Etsi igitur effectus corporis CHRISTI pro nobis in mortem traditi & in cæna distributi sunt spirituales, & non nisi fide percipiuntur: modus etiam perceptionis illius spiritualis est: non tamen propterea ipsum corpus substantia sua spirituale est, & spiritualiter tantum seu fide accipitur, sed præter fidei usum externa etiam actione distribuitur & sumitur iuxta Christi verba, Accipite, comedite, hoc est corpus meum.

### XX XIII.

Esca & potus spiritualis non nisi spiritualiter manu & ore spirituali, id est, vera fide, & ventriculo spirituali, id est, animo seu corde Spiritu DEI renato potest accipi: non nisi spirituali nutritione nos viuificare, hoc est, Spiritu utrinque inhabitante, nosque ei vniente & conformante.

Caro & sanguis Christi sunt esca & potus spiritualis.

Ergo, non nisi animo & corde fideli possunt edi & bibi.

Maion



Maior vera est de spiritali esca & potu, quo ad substantiam. Minor vera est non de substantia: sed tantum de usu seu utilitate carnis & sanguinis Christi, quæ exhibentur in cæna, non ut vitæ corporali seu corpori alendo, sed animæ & spiritui nostro & fidei accendendæ & confirmandæ seruiant. Item de perceptionis modo, qui non est naturalis sed spiritalis, seu qui est supra & extra conspectum rationis, & tamen luce fidei per Spiritum sanctum accensa percipi & comprehendi potest. Sunt igitur quatuor termini.

### XXXIII.

Corpus & sanguis Christi, sicut pro mundi vita data, verè sunt cibus & potus ad vitam, manducari & bibi verè possunt iuxta doctrinam Iohan. 6.

At talis vera corporis Christi & sanguinis communicatio nullam requirit corporalem in pane & vino præsentiam, nec oralem ipsorum perceptionem. Imo hanc ipsemet Christus per ascensionem suam in cælum refutat.

Ergo vera & realis corporis & sanguinis Christi communicatio fieri & percipi à fidelibus potest absq; vlla corporis in pane & vino præsentia & oralis perceptionis necessitate.

Respondeo ex puris particularibus nihil sequitur, Maior tantum vera est de manducatione spiritali, quæ cænæ Dominicæ & manducationi Iohan. 6. communis est: non autem vera est de manducatione sacramentali. Nam Iohan. 6. & in sacra cæna vnus quidem & eiusdem carnis & sanguinis Christi fit mentio, sed modus manducandi & bibendi non est vtrobiq; prorsus idem. Quia manducatio Iohan. 6. fit sine Elementis, In cæna autem fit mediante pane & vino. 2. Iohan. 6. non physicum seu materiale, ut in verbis cænæ denotat: sed metaphoricè accipitur pro  
autore



autore & datore vitæ æternæ Christo. Si ergo ex concione Ioh. 6. verba cænæ interpretanda essent, nullo pane aut vino materiali vtendum esset. 3. Manducare & bibere Ioh. 6. idem significant quod credere. In cæna autem de externo oris esu intelliguntur. 4. Ioh. 6. agitur de ea manducatione quæ est salutaris & vitam æternam manducantibus adfert. At sacra cænæ manducatio multis est exitio.

5. Manducatio Iohan. 6. est omnium temporum ætatum, locorum &c. At manducatio cænæ Dominicæ non fuit in Ecclesia ante illius institutionem.

6. Iohan. 6. tantum traditur manducatio spiritualis & fidei. In cæna verò traditur & spiritualis seu fidei & sacramentalis. Hæc dissimilitudo ostendit, non simpliciter & prorsus idem dogma Iohan. 6. & in verbis cænæ tradi, nec propter concionem Ioh. 6. à natiua & propria verborum cænæ significatione discedendum esse. Huc pertinet quòd Calvinus fatetur, Non de cæna habetur concio, sed de perpetua communicatione quæ extra cænæ vsum nobis constat. Perperam de cæna exponitur totus hic locus & ineptum fuisset ac intempestiuum de cæna tunc differere, quam nondum instituerat. Hactenus Calvinus. Nam concio Christi de pane caelesti Iohan. 6. integro anno ante cænæ institutionem habita est in Synagoge Capernaitica, non Hierosolimis, vbi sequenti demum anno cæna ordinata est. Quod autem S. Patres accommodant concionem Ioh. 6. ad cænam Domini, fit propter spiritualem esum, qui vtrobiq; requiritur. Nam cum Christus condit testamentum suum, non vult vt absq; fide eo vtamur, quin potius vult fidei incitamentum & alimentum esse pignus illud. Spirituales ergo manducatio corporis Christi de qua Christus Iohan. 6. translatis verbis concionatur etiam tum iubetur, cum Eucharistia à filio Dei instituitur.

K

Testa-



Testamentum nemini promittit vel exhibet bona, nisi hæredibus.

Impij & infideles non sunt hæredes Christi.

Ergo impijs non exhibetur corpus & sanguis Christi sed solis pijs hæredibus.

Respondeo, Maior tantum vera est de exhibitione salutari, seu quæ salutem adfert, Inde verò non sequitur, Impijs non exhibetur salutariter. Ergo non exhibetur etiam ipsis ad iudicium contra expressum textum. I. Corinth. II. Non sunt quidem Margaritæ proijciendæ ante porcos, sed tamen si vorent eas, non propterea perit substantia earum, etsi efficacia & usus pereat. Ita si quis legatam in testamento pecuniam hæredibus destinatam amittat, & latro eam intercipiat, non propterea pecunia desinit esse, quòd est sed etiam latroni est & manet vera pecunia, Idem iudicium de corpore Christi in cæna, quod quidem solis discipulis & credentibus institutum est, sed tamen si indignus comedat, non propterea perit substantia corporis Christi. Deinde propriè loquendo corpus Christi non est legatum cænae Dominicæ sicut est remissio peccatorum, & reconciliatio cum DEO: sed est huius legati sigillum & applicatio.

#### XXXVI.

Inter Christum & Belial nulla est communio.

Impij sunt filij Belial.

Ergo impij non edunt carnem Christi.

Respondeo, plus subsumitur quam fuit in præmissis. Illud enim tantum sequitur. Ergo impij non habent communionem cum Christo: quod concedimus. Deinde est fallacia æquiocationis in voce communionis, quæ est duplex, corporalis seu externa, & spiritualis seu interna, Corporalis est tam impijs, quam pijs in cæna communis, teste Paulo, qui etiam indignos docet corpus Christi comedere.



edere. Spiritualis verò communio Christi non nisi credentium propria est.

XXXVII.

Christi Spiritus viuificus à carne ipsius nunquam separatur, Sed increduli non accipiunt Spiritum Christi viuificum.

Ergo nec carnem Christi in cæna accipiunt.

Respondeo ad maiorem, quod ea vera sit respectu carnis Christi, non autem respectu eorum à quibus sumitur. Nam quod ad ipsam Christi carnem attinet, illa semper est & manet viuifica, sed vitam non semper communicat cum illis, qui eam absq; vera fide comedunt. Christus enim non naturaliter: sed voluntariè agit, & pro ratione accedentium vitam suam communicat cum dignis seu fide comedentibus corpus ipsius. Cum indignis autem non communicat eam, sed potius mortem in eis operatur. Ratione igitur inconuenientis subiecti potest separari, sicut vinum per se salubre est, sed febricitantibus venenum est, non ratione sui, sed febris non ferentis vsum vini.

XXXIIX.

Christus inquit, Qui manducat carnem meam & bibit sanguinem meum, in me manet & ego in eo & habet vitam æternam Iohan. 6.

Sed impij non manent in Christo, nec Christus in eis, & non habent vitam æternam.

Ergò non manducant corpus nec bibunt sanguinem Christi.

Respondeo, Est fallacia secundum quid, quia maior tantum loquitur de spiritali manducatione corporis Christi: non autem sacramentali, vt sit sententia: Qui spiritaliter seu vera fide comedit corpus Christi, is manet in Christo, & Christus in eo. Si hoc sensu conclusio acci-

K 2

piatur





piatur concedo argumentum, si verò detorqueatur ad sacramentalem manducationem, plus subsumitur, quàm fuit in præmissis. Ad hanc obiectionem scitè & eruditè D. Augustinus etiam respondet contra Cresionium lib. 1. cap. 25. his verbis: Quid de ipso corpore & sanguine Domini vero sacrificio pro salute nostra, quamvis ipse Dominus dicat. Nisi manducaueritis carnem filijs hominis non habebitis vitam in vobis, nonne idem Apostolus docet, & Hoc (scilicet corpus Christi) perniciosum fieri male vten- tibus? Ait enim Quicumq; manducauerit indigne, reus erit corporis Domini.

### XXXIX.

D. Augustinus inquit tractatu 59. in Iohannem Discipuli manducabant panem Domini. Iudas verò panem Domini contra Dominum, illi vitam, ille poenam.

Ergo indigni non comedunt verum corpus Christi.

Respondeo, Augustinus eo dicto tantum discrimen monstrat inter salutarem & noxiam corporis Christi manducationem Apostoli inquit comederunt panem Domini, qua loquutione respicit ad dictum Christi Iohan. 6. Ego sum panis viuus, qui de cælo descendit, & intelligit spirituales manducationem Christi, qui se panem cælestem vocat. Ille inquit bibit non omnium panem, sed panem Domini, per quem intelligit panem Eucharistiæ, qui est corpus Christi. Illud quia Iudas edit absq; fide contra Dominum, poenam non vitam assecutus est. Quod autem D. Augustinus docuerit etiam Iudam & omnes impios accipere verum corpus Christi, constat ex lib. eius 5. contra Donatistas cap. 8. Sicut inquit Iudas cui buccellam tradidit Dominus non malum accipiendo, locum in se Diabolo præbuit: Sic indigne quisq; sumens Dominicum sacramentum non efficit, vt quia ipse malus est, malum sit, aut quia



quia non ad salutem accipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini & sanguis Domini nihil ominus erat etiam ijs quibus dicebat Apostolus: Qui manducat indignè iudicium sibi manducat & bibit. Idem contra Fulgentium lib. 9. Iudas proditor bonum Christi corpus & Simon magus bonum baptisma Christi percepit, sed quia bono non bene vsi sunt, mali malè vtendo deleti sunt, Et Epistola 162. Tolerat ipse Dominus Iudam & sinit accipere inter innocentes discipulos, quod norunt fideles precium suum.

XL.

D. Paulus inquit 1. Cor. 10. Patres in deserto omnes eandem escam nobiscum comedisse.

Verum illi non comederunt ore corpus Christi, quandoquidem nondum fuit natum.

Igitur nec nos accipimus corpus Christi in cæna ore, sed tantum sola fide, qua & illi Christum venturum ceperunt.

Nego maiorem, patres in deserto nobiscum eandem comedisse escam spiritualem, Id enim non ab Apostolo affirmatur, & particula vniuersalis, Omnes, restringitur tantum ad Israelitas tunc vnà in deserto commorantes, non refertur ad nos, quia non fuimus cum eis sub nube, nec per mare transiuimus, sicut etiam vocula, Eandem escam, Iudæos tantum inter sese & non nobiscum confert, Hic verò attente obseruetur, quod Paulus testatur omnes patres siue credentes siue non credentes eandem escam spiritualem inter se comedisse, Manna nimirum, quod typus fuit Christi, Iohan. 6. Cum igitur ista manducatio communis fuerit infidelibus cum fidelibus, non possunt verba Pauli ad solius fidei manducationem referri, quæ impijs minimè competit. Corruit igitur maior propositio aduersariorum, eandem esse spiritualem rationem, & modum manducandi





Christi in veteri, & nouo testamento. Verba enim Pauli, ut dictum, loquuntur de manducatione pijs & impijs ludæis in deserto communi, non tantum de spirituali, propria solorum fidelium. Dicitur autem Manna esca spiritualis non ratione vsus seu efficaciam, sed miraculosæ de cælo productionis suæ, & respectu significationis, qua typus fuit corporis & sanguinis Christi Iohan. 6. Quod autem sequitur in textu, eos bibisse de spirituali petra, quæ eos comitabatur, & Christus erat, respondetur in Typo seu figura tantum impios de illa spirituali petra bibisse, quia externa petra, de cuius aquis bibebant, erat typus & figura petræ veræ quæ est Christus. Minorem concedo, sed conclusio non rectè attextitur, sicut enim illi comederunt corpus Christi in typo seu figura: Ita nos illud nunc comedimus in veritate. Idem Calvinus expressis verbis fatetur in caput 1. Corinth. 10. Hodie manducationem esse substantialem, quæ tum nondum esse potuerit. Inde colligit Apostolus à minori ad maius: Si Israelitæ non impunè tulerunt prophanationem figurarum seu *σκιῶν* adumbrantium futura bona, quanto grauiores pœnas luent qui ipsa bona significata & eorum *κοινωνίαν* indignè percipiunt.

#### XLI.

Olim infideles Israelitæ perceperunt signa seu typos corporis & sanguinis Christi, non verò ipsum corpus & sanguinem.

Ergo etiam hodie indigni percipiunt sola signa sacramentalia, non autem corpus aut sanguinem Christi.

Sed respondeo, non valet consequentia & ratio est, Re enim exhibita, cessant umbræ, rem venturam significantes. Nunc ergo Christo exhibito non amplius umbrarum locus est, nec sunt in nouo testamento signa significantia  
Christum



Christum: sed exhibiti beneficia ob signantia & applicantia.  
Deinde alia est substantia umbrarum, & alia rerum adumbratarum. Sicut autem patres in veteri testamento acceperunt substantiam umbrarum: Ita nos etiam accipimus substantiam rei adumbratae, scilicet corporis & sanguinis Christi, & sicut in veteri testamento Patres fideles acceperunt substantiam umbrarum cum re significata: non credentes, solam substantiam, sine fructu rei significatae: Ita nunc etiam in coena Domini credentes accipiunt substantiam & effectum rei adumbratae seu corporis & sanguinis Christi, Infideles accipiunt substantiam solam sine fructu.

XLII.

D. Augustinus inquit, Quid paras dentes & ventrem, crede & manducaſti? Et horribilius est manducare carnem humanam, quam perimere: & humanum sanguinem potare, quam fundere.

Ergo corpus Christi non ore: sed fide tantum comeditur.

Respondeo, Distinguendum est inter manducationem physicam seu Capernaiticam & sacramentalem. Illam solam reijcit Augustinus, & nos cum eo. Interim vero non negat corpus Christi manducandum in pane nobis exhiberi sacramentali seu arcano, & imperſcrutabili modo. Et quia panis ore comeditur, etiam corpus quod in pane exhibetur ore comedi à sanctis patribus dicitur, non tamen eo modo, quo panis editur, qui est Physicus & naturalis, sed sacramentali seu arcana ratione. Eadem responsio pertinet ad eisdem Augustini dictum, quod extat in explicatione Psal. 85. Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem fufuri sunt qui me crucifigent. Sacramentum aliquod commendavi vobis, spiritualiter intellectum, viuificabit vos. Nam non negat D. Augustinus substantiam corporis



corporis Christi comedi in cæna, sed de modo tantum comestionis differit, quem negat carnalem & visibilem esse, quo caro in macello empta editur & in frustra secatur. Quod idem Augustinus scribit secundum quendam modum sacramentum corporis Christi, corpus Christi esse non intelligit modum figuratum sed mysticum seu arcanum esse. Nam panis est corpus Christi non proprietate essentia suæ, sed vnione imperscrutabili, in legitimo cænæ Dominicæ vsu, Ideo in sententijs Prosperi legitur hoc illius dictum: Nos in specie panis & vini, quam videmus res inuisibiles, id est, carnem & sanguinem Christi honoramus.

XLIII.

Christus inquit Ioh. 6. Caro non prodest quidquam Spiritus est qui viuificat.

Ergò in cæna non comeditur ipsa caro Christi, sed tantum Spiritus seu efficacia Christi.

Respondeo est fallacia æquiuationis in voce caro, quæ non in toto illo capite, semper significat humanitatem Christi quam viuificam esse, multoties Christus ipse affirmat & disertè addit eam prodesse, quia det eam pro mundi vita, sed cum opponitur voci Spiritus de homine peccato polluto intelligitur, sicut hoc loco, Quia enim Capernaitæ somniabant, si edenda esset caro Christi, scindendam eam in frustra & dentibus discerpendam esse, huiusmodi carnales ipsorum opiniones damnat Christus ipsis verbis: caro non prodest quidquam, quasi dicat: carnalis illa imaginatio vestra prorsus inutilis est, Spiritus est qui viuificat, seu necesse est Spiritu viuificante vos illuminatos, quicquid locutus sum de esu carnis meæ intelligere. Sed damnatio falsæ imaginationis de Capernaitica corporis Christi laniena, non destruit sacramentalem illius manducationem, quæ quidem fit ore, sed sine sensu & consequentibus physicis actionibus



actionibus, ita vt corpus Christi non descendat in ventrem,  
non concoquatur, sed maneat integrum & incorruptibile  
iuxta dictum. Sumit vnus, sumunt mille, quantum iste, tan-  
tum ille, nec sumptus absumitur.

XLIIII.

Pij non norunt Christum secundum carnem 2. Cor. 5.  
Si cognouimus Christum secundum carnem, nunc tamen  
non amplius nouimus.

Ergo non comedunt eam ore in cæna, sed tantum fide  
spiritualiter.

Respondeo, Plus subsumitur in consequente quam est  
in antecedente. Antecedens enim non damnat Sacramen-  
talem carnis manducationem in cæna, sed tantum præpo-  
sterum carnis nostræ studium, corporalem Christi conuer-  
sationem nobiscum expetentis reprehendit, vt Apostoli  
initio fuerunt, qui magis præsentia illius carnali, quam ver-  
bo adhæserunt, & externa potius, quam spiritualia bona  
ab eo expectarunt, victum & defensionem. Ideo D. Luthe-  
rus in magna confessione sua scribit, secundum carnem non  
significat in carne, sicut somniant, sed more aduerbij car-  
naliter vel studio & affectu carnis, vel quomodo caro facit.  
Proprie igitur vox caro non pro substantia, sed qualitate  
seu externa specie accipitur. Non enim negat Apostolus  
carnem Christi amplius à nobis cognosci, amari & deside-  
rari, sed tantum ostendit credentes nihil carnale seu non  
terrenam felicitatem & præstantiam à Christo expectare,  
verum spiritualia tantum bona, vt reconciliationem cum  
D B O, iusticiam, salutem & vitam æternam.

XLV.

Si corpus Christi datur cum pane, sequitur adesse in  
cæna propter panem & non propter hominem.

Sed non adest propter panem sed propter hominem.

L

Ergo



Ergò non datur corpus Christi cum pane.

Respondeo est ignoratio Elenchi. Non enim maior habet firmam connexionem & euidentem probationem. Nam quod corpus cum pane in sacra actione vnitur, id fit non propter panem, sed vt eo mediante Nobis communicetur cum hoc visibili elemento verum corpus Christi ad obfignanda & applicanda nobis beneficia Christi, sicut non sequitur: Si Spiritus sanctus adest columbæ, non adest propter Iohannem Baptistam, sed propter columbam. Id si inuertas, rectius concluderis, Spiritus sanctus adest columbæ non propter columbam, sed vt ea visibili specie Spiritus sanctus super Christum descendat & Iohannem confirmet, hunc Iesum esse Christum qui baptizet Spiritu & igni. Ita Spiritus Angelicos legimus sæpè formas hominum assumpsisse, non propter formas ipsas, sed propter homines, quibus eiusmodi patefactiones à DEO fiunt.

XLVI.

Qui dirigunt adorationem Christi post ascensionem, ad rem, aut locum vllum certum in terris &c. aut aliquod dogma defendunt, ex quo talis adoratio Christi necessario sequitur, haud dubiè cultum Idololatricum defendunt, contra dictum Ioh. 4. Venit hora & iam est &c.

At qui Christum inuisibiliter, sed tamen corporaliter præsentem statuunt in pane, non minus alligant eius adorationem ad locum panis, quam si Christus visibiliter suo corpore ob oculos nobis assisteret.

Ergò ista opinio manifestè doctrinæ Christi aduersatur & Idolomanian pontificiam confirmat.

Neganda est minor, quia alia est præsentia panis in cæna, scilicet physica & naturalis, & alia præsentia corporis Christi mystica seu arcana. Etsi verò dicitur Christus in cæna adesse corporaliter, non tamen de modo præsentia  
hoc



hoc intelligitur, Sed tantum corpus ipsum praesens esse,  
non signum illius aut nudam efficaciam. Cum igitur dirigi-  
tur oratio in actione caenae ad Christum praesentem modo  
imperuestigabili, non sequitur ad panem etiam inuocatio-  
nem dirigi. Vt enim non est localis praesentia corporis  
Christi in pane, sic etiam ad locum panis non alligatur ad-  
oratio Christi, sed solus Christus adoratur, in caena praesens  
arcano & imperscrutabili modo, sicut Israelitae non  
lignum, non aurum, non Cherubin arcae foederis, sed Deum  
ipsum tantum, qui praesentiam suam ibi promiserat, adora-  
bant.

XLVII.

Amiffa forma res perit.

Impij non habent formam sacramenti.

Ergo nec ipsum sacramentum.

Respondeo ad Maiorem, Amiffa forma scilicet absolu-  
ti, non formale relatiui; Quia saepe manent fundamenta ex-  
tinctis relationibus, vt lapis in agro relinqui potest, etiam si  
non amplius, vt antea, fungitur limitis officio. Ideo necesse  
est discerni materiale & formale. Deinde nego minorem.  
Forma enim caenae dominicae est tota actio cum rebus su-  
mendis terrenis & caelestibus, quae etiam vocatur essentia  
caenae. Ea vero communis est tam impijs quam pijs, fide-  
libus quam infidelibus, teste Paulo & D. Augustino lib. 5.  
contra Donatistas cap. 8. Indigne quisq; sumens domini  
cum Sacramentum, non efficit, vt quia ipse malus est, ma-  
lum sit, aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit,  
corpus enim Domini & sanguis Domini nihilominus erat  
etiam ijs quibus dicebat Apostolus: Qui manducat indi-  
gne, iudicium sibi manducat & bibit. Idem contra Dona-  
tistas lib. 3. cap. 14. Non interest cum de Sacramenti inte-  
gritate, & sanctitate quaeritur, quali fide imbutus sit ille, qui  
sacramentum accipit. Interest quidem plurimum ad salutis





viam, sed ad sacramenti quæstionem nihil interest. Fieri enim potest, vt homo habeat integrum sacramentum & peruersam fidem. Sed de formali conceditur, Impios non spiritualiter cum Christo coniungi, & eatenus tantum habere formam siue formale seu fundamentum sine termino, seu essentiam cænæ sine effectu illius.

XLIX.

Qui reijcit corpus Christi non accipit.

Impij reijciunt corpus Christi.

Ergo non accipiunt illud in cæna.

Respondeo ad maiorem. Quod sint diuersi respectus. Nam prius membrum maioris propositionis tantum intelligitur de reiectione, quæ fit *à misericordia* seu infidelitate. Posteriorius autem de acceptione, quæ fit ore. Hæc igitur duo non pugnant inter se, quia sunt diuersi respectus: vnus & eiusdem sanè respectu, maior concedenda est vt qui infidelitate reijcit corpus Christi, non accipiat illud fide, sed conclusio negat, impios non solum fide non accipere corpus Christi, sed nec ore illud percipere affirmat, plus igitur subsumitur quam ex præmissis sequitur. Sicut autem verbum Domini viuificum tam audire possunt infideles quam fideles, sed tamen diuerso effectu, hi ad salutem illi ad condemnationem propter spretum & neglectum verbum: Ita in cæna Domini etiam corpus Christi & sanguis illius accipi potest, tam ab indignis, quam dignis, ab his ad salutem, ab illis ad iudicium sine fructu & beneficijs corporis Christi.

F I N I S.



AB 155 276

(X 1992533)


A VO 17 Mg. 253.



1566  
1592  
1653







<sup>MA5.</sup>  
BREVIS DECLARATIO VERBORUM  
COENAE DOMINICAE

PRO STUDIO THEOLOGICAE ET ALIIS HOMINIBUS PIIS, IN SIMPLICI VERITATE, QUAM AMPLECTUNTUR, CONFIRMANDIS

*Collecta à*

VALENTINO SCHACHTIO

*Cum adiecta precipuarum obiectio-  
num refutatione.*



*Sum opus libri p. Johannis  
Lutheri*

*conservatus in lachrymis, in  
exultatione meum.*

*21. X. 201. 2. 1631.*

*M. Andrea Diefhard*

*Anno 1631.*

J E N A

*Typis Tobia Steinmanni. Anno 1591.*

*MA5.*